DE

SATURNI DEI

IN AFRICA ROMANA CULTU

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

THESIM PROPONEBAT

J. TOUTAIN

SCHOLÆ NORMALIS OLIM ALUMNUS

LUTETIÆ PARISIORUM

APUD BIBLIOPOLAS FRATRES BELIN

ANNO MDCCCXCIV

DE SATURNI DEI IN AFRICA ROMANA CULTU

DE

SATURNI DEI

IN AFRICA ROMANA CULTU

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

THESIM PROPONEBAT

J. TOUTAIN
SCHOLÆ NORMALIS OLIM ALUMNUS

LUTETIÆ PARISIORUM
APUD BIBLIOPOLAS FRATRES BELIN

ANNO MDCCCXCIV

DOCTISSIMO ET BENEVOLENTISSIMO VIRO

RENATO CAGNAT

GRATISSIMI ANIMI PIGNUS

D D D.

J. Toutain.

DE

SATURNI DEI

IN AFRICA ROMANA CULTU

I

In Africa, Romanis imperantibus, nulli deo plures adhibitæ sunt preces, nulli plura vota soluta quam Saturno : cujus cultus non pauca monumenta, inscriptiones anaglyptaque, nuperrime effossa sunt. Apud scriptores vero et historicos Saturni hujus Africani fere nulla fit mentio : is enim deus, quem latino sermone Saturnum memorant laudantque veteres gentiles et christiani increpant, haud alius est quam ille, quem Græci Κρόνον vocabant, Urani filius et Jovis pater, vel etiam illud antiquissimum Italicorum numen, quod homines agrorum culturam docuisse refertur et Romani Saturnalibus annuis celebrare solebant[1]. Interdum a nonnullis Saturnus cum

1. Macrobius, *Saturnalia* (Ed. Eissenhardt), v, 14 et seq.; Tertullianus (Ed. Oehler), *Apologeticum*, X; Augustinus, *De civitate Dei*, VII, 2, 3, 4, 5, 13, 15, 19; Arnobius, *Adversus Gentes*, III, 29.

maximo Phœnicum numine, Baal aut Bel dicto, collatus est; sed tunc habebatur crudelis cruentusque deus, cujus ira nonnisi per humanas hostias placari posse videbatur[1]. Hic autem deus, qui per Africam romanam Saturnus vocatus est, non idem, ut infra monstrabo, atque Κρόνος, non idem atque Saturnus Italicus, non etiam omnino idem est neque iisdem ritibus cultus atque Phœnicum Carthaginiensiumque numen Baal-Moloch. Ergo non licet historiarum scriptores poetasve vel philosophos de natura cultuque Saturni Africani percontari; confugiendum est ad multa et diversissima monumenta, titulos anaglyptaque, olim universæ erga deum pietatis indicia, hodie nobis optima et magni pretii documenta.

Quorum sunt tria genera :

1° Inscriptiones et inscriptionum fragmenta, quæ dedicationem templi cujusdam vel restitutionem commemorant;

2° Lapides votivi, quorum plerique in provinciis Proconsulari et Numidia et Mauretania Cæsariensi novissime reperti sunt. Quibus lapidibus non solum inscripta sunt Saturni dei et eorum, qui vota solvebant, nomina, et nonnunquam annus mensisque et dies, vel aliæ formulæ; sed etiam insculptæ sunt multæ et variæ figuræ,

---

1. Theophilus, Antiochiensis episcopus, *Ad Autolycum*, III, 29; Joannes Chrysostoma, *In Psalmum* CV, § 3; Augustinus, *De civitate Dei*, VII, 19; Eusebius Cæsareensis, *Præpar. Evangelica*, IV, § 16. V. infra pag. 114 et seq.

sæpissime informes, ex quibus tamen apparere potuit quis fuerit ille deus, quibusque ritibus cultus sit.

3° Nonnulli denique tituli sepulcrales *sacerdotum Saturni.*

Illis monumentis, quibus inscribitur Saturni nomen vel totum vel paucis litteris significatum[1], adjicienda mihi videntur inscriptiones et anaglypta iisdem locis reperta et quorum ceteroquin figuræ titulique simillima sunt. Præterea uti decet relationibus omnium eorum qui, alii investigando, alii effodiendo, rudera templorum perscrutari et locos ipsos inspicere potuerunt, ubi Saturnus deus colebatur.

Quæ omnia, tituli per quos dedicationes aut restitutiones sacrarum ædium commemoratæ sunt, lapides votivi, elogia sacerdotum Saturni, anaglypta templaque olim diffusa erant per omnes partes Africæ romanæ, in provincia Proconsulari, in Numidia, in Mauretania; hæc prope littus Maris nostri, illa in interioribus provinciarum reperta sunt. Quod quidem manifestum habebit, si quis indicem hunc perlegere volet :

I. *Loci, ubi explorata sunt rudera templorum, vel ubi reperti sunt tituli qui dedicationem aut restitutionem templi commemorant :*

a. In provincia Proconsulari :

Dechra bou Djelida, rudera urbis, cujus nomen anti-

---

1. S aut SAT.

quum adhuc latet, in valle fluminis hodie dicti Oued Siliane sita, haud longe a Tichilla (Testour) et Thubursico Bure (Teboursouk) : *C. I. L.* VIII (*Suppl.*), 12331.

La Mohammedia, ubi nunc exstant, jam semirutæ, ingentes ab Arabum principe quodam, Mohammed nominato, constructæ ædes, inter Tunetem et Uthinæ coloniæ rudera (H[r] Oudna) : *Epistolæ Tuscani medici Johannis Pagnii*, Florentiæ anno 1829 editæ, pag. 155 et seq.

H[r] Bou Beker, in eis faucibus, ab urbe Tunete non multum distantibus, quibus hodie nomen Khangat el Hadjadj datur : *Bulletin archéologique du Comité des travaux historiques,* anno 1889, pag. 273 et seq.; *C. I. L.* VIII (*Suppl.*), 12388 et seq.; *Mélanges de l'Ecole française de Rome*, ann. 1892 (t. XII), pag. 15, not. 2.

In supremo cacumine montis nunc dicti Djebel Bou Kourneïn, sub quo pagus Hammam el Enf jacet : *Comptes rendus de l'Académie des inscriptions et belles-lettres*, ann. 1891, pag. 226-227; *Mélanges de l'Ecole française de Rome*, ann. 1892 (t. XII), pag. 1 et seq.

Haud longe a loco Bordj Cedria nuncupato, qui forte olim Gummis dictus erat, nuperrime vidit P. Gauckler, rebus antiquis in Tunetano regno præfectus, templi

Saturno dedicati rudera, inter quæ epistilii fragmenta, capitella et basides : *Revue tunisienne,* 1894, pag. 53.

Locus dictus Bordj ben Chaban, in planitie, cui nunc vulgo datur nomen Mornak, sub radice montis Bou Kourneïn, inter Maxulam (Rhadès) et ad Aquas (Hammam el Enf) : *C. I. L.* VIII, 998, ex relatione hispani cujusdam monachi Ximenes.

H^r ben Glaïa, ubi sunt vestigia urbis antiquæ, inter Vagam (Béjà) et Suam civitatem (Chaouach) : *C. I. L.* VIII (*Suppl.*), 14377.

Souk el Tleta, in ea regione saltuosa quæ jacet inter Mare nostrum et vallem fluminis Bagradæ (Medjerdah), tredecim circiter millibus passuum ab urbe Bulla Regia septentrionem versus : *C. I. L.* VIII (*Suppl.*), 14465.

H^r Sidi Mohammed el Azrak, ubi sunt antiqui pagi rudera, sex circiter millibus passuum, inter meridiem et orientem, a loco hodie nuncupato Ghardimaou : *Comptes rendus de l'Académie des inscriptions et belles-lettres*, ann. 1890, pag. 467.

Aïn Tounga, olim Thignica : *Bulletin archéologique du Comité des travaux historiques,* ann. 1889, pag. 207 et seq.; *C. I. L.* VIII (*Suppl.*), 14912 et seq.

Dougga, olim Thugga : *Comptes rendus de l'Acadé-*

mie des inscriptions et belles-lettres, ann. 1891, pag. 437 et seq.; ann. 1893, pag. 357. *Bulletin de la Société de géographie et d'archéologie d'Oran*, ann. 1893, pag. 63 et seq.

b. In Numidia :

Lambèse, olim Lambæsis : *C. I. L.* VIII, 2670. (Qui titulus duobus circiter millibus passuum ab urbe septentrionem versus repertus est.)

c. In Mauretania Cæsariensi :

Kherbet Gidra, olim Sertei : *C. I. L.* VIII, 8826; *Mélanges de l'École française de Rome*, ann. 1890 (t. X), pag. 434.

Aumale, olim Auzia : *C. I. L.* VIII, 9023.

II. *Loci ubi reperti sunt lapides votivi seu coacti seu dispersi :*

a. In provincia Proconsulari :

In loco nunc Zaouïet el Laala dicto, sub radice montis Zaghouan hodie nuncupati :

RNO AVG
TO SAC
IVLIANO

[Satu]rno Aug[usto...]to sac(rum)... Juliano ?

In loco Hr Habda dicto, sex fere millibus passuum a Thuburbo Majore, meridiem versus :

ON
BARIGBAL
IVS ACVTI
DEDIT SACER
ERDOTIV
ONAE

V. 4 et 5 : ...*dedit sacer*[*dos... ob sac*]*erdotiu*[*m*...

Aïn Djoukar, olim Zucchari :

SATURNO AVg
Q. CAECILIVS Q. F ARn

Saturno Au[*gusto sacrum*]. *Q. Cæcilius Q*(*uinti*) *f*(*ilius*) *Arn*(*ensi tribu*)...

Quæ titulorum fragmenta, nuper a Franco-Gallorum ductoribus reperta et extemplo a Renato Cagnat mihi data, nunc in *Bulletin archéologique du Comité*, ann. 1893, pag. 221, n° 45, pag. 224, n° 55, pag. 226, n° 63 edita sunt.

Maktar, olim Mactaris : *Bulletin archéologique du Comité*, ann. 1891, pag. 536, n° 9.

La Mohammedia (vide supra) : *C. I. L.* VIII, 871-873.

Hr Bou-Beker (v. supra) : *C. I. L.* VIII (*Suppl.*), 12388-12400, quorum titulorum plerosque ipse contuli ; præterea tres adhuc ineditos vidi et descripsi :

SATVRNO. A
PRONIVS AR

Saturno A[ugusto sacrum. A]pronius Ar[gutus...?

DOMINO SO
BARESI FV
LVIVS REP
OSTUS SA
CERDOS

Domino Sobaresi Fulvius Repostus sacerdos [*votum solvit libens animo*].

//// A S
PETRONIVS
RESTVTVS
SACERDOS
V S L A

[*S*(*aturno*)] *A*(*ugusto*) *s*(*acrum*). *Petronius Restutus sacerdos v*(*otum*) *s*(*olvit*) *l*(*ibens*) *a*(*nimo*).

In cacumine montis Bou Kourneïn (v. supra) : *Mélanges de l'École française de Rome*, ann. 1892 (t. XII), pag. 19-85, n. 1-365. Inscriptionibus et fragmentis jam effossis nunc adjicienda sunt lapides aliquot et frag-

menta, nuper reperta, inter quæ hoc unum transcribendum videtur, quod mihi devotissimus et amatissimus Paul Gauckler benigne mandavit[1] :

NEAPOLITANO

SATVRNO
AUG. SACR.
C. ALFIVS QVAD
RATVS SACERDOS
V. S. L. M.

Neapolitano. Saturno Aug(usto) sacr(um). C. Alfius Quadratus sacerdos v(otum) s(olvit) l(ibens) m(erito).

Soliman, olim forsitan Megalopolis, in ea planitie quæ jacet inter Carthaginiensem sinum et eam partem Maris nostri hodie vulgo nuncupatam *Golfe d'Hammamet* : *C. I. L.* VIII, 938.

Bordj Cedria, olim forsitan Gummis (v. supra) : juxta templi rudera repertus est hic titulus, nuperrime in *Revue Tunisienne*, 1894, editus :

S A S
L POMPONIVS
CURIVS QVI
ET CACCA V. S.
L. A. SACERD.

1. Qui titulus nunc editus est in *Bulletin de la Société des Antiquaires*, ann. 1893, pag. 82.

S(aturno) A(ugusto) s(acrum). L. Pomponius Curius qui et Cacca v(otum) s(olvit) l(ibens) a(nimo) sacerd(os).

Carthage, olim Carthago : *C. I. L.* VIII, 1009; (*Suppl.*), 12491, 12494.

Béjà, olim Vaga : *C. I. L.* VIII, 1216.

Hr el Faouar, ubi sunt antiqui pagi rudera, prope Vagam, inter septentrionem et orientem : *C. I. L.* VIII (*Suppl.*), 14433, 14434.

Testour, olim Tichilla, in ripa dextra Bagradæ fluminis : *C. I. L.* VIII, 1354.

Aïn Tounga, olim Thignica (v. supra) : *Bulletin archéologique du Comité*, loc. cit. n. 1-426; *C. I. L.* VIII (*Suppl.*), n. 14912 et seq.[1].

Dougga, olim Thugga (v. supra) : *C. I. L.* VIII, 10619; (*Suppl.*), 15515.

b. In Numidia :

Tébessa, olim Theveste, et vicinia (Hr Altabia, Hr Hallufa, Aquæ Cæsaris, Hr Torecha, Gonnifida) : *C. I. L.* VIII, 2190, 10624; (*Suppl.*), 16696, 16697.

---

1. Quibus addendus est titulus nuperrime in loco nunc Aïn-Golea dicto repertus, sex chiliom. a Thignica meridiem versus, 10 chiliom. a Thubursico Bure orientem versus, ubi sunt rudera, de quibus adhuc non constat civitasne ibi fuerit propria an pagus vel Thignicensium vel Thubursicensium reipublicæ attributus. *C. I. L.* (*Suppl.*), page 1472, n. 15248.

Aïn Zouï, olim Vazaivi, sub Aurasio monte septentrionem versus, inter Thevestem (Tébessa) et Masculam (Khenchela) : *C. I. L.* VIII, 2226.

Khenchela, olim Mascula : *C. I. L.* VIII, 2232-2238; *Comptes rendus des séances de l'Académie d'Hippone*, ann. 1889, pag. IX; *Ephemeris Epigraphica*, VII, 739. Cf. *Mélanges de l'Ecole française de Rome*, ann. 1893 (t. XIII), pag. 495-497 et pag. 504-507.

Timgad, olim Thamugadi : *C. I. L.* VIII, 2349; *Gazette archéologique*, ann. 1880, pag. 40 et seq.

Lambèse (v. supra) : *C. I. L.* VIII, 2666, 2668, 2669.

Zraya, olim Zaraï : *C. I. L.* VIII, 4512.

Zana, olim Diana : *C. I. L.* VIII, 4580, 4581.

Announa, olim Thibilis : Cagnat, *l'Année épigraphique*, ann. 1890, n. 126.

Guelma, olim Calama : *C. I. L.* VIII, 5300 et seq.

Fedj Sila, olim sane Sila : *Ephem. epigr.* V, 870.

In ea parte Africæ per quam nunc ducuntur, plerumque incerti, fines inter Algeriam et Tunisiam : *Comptes rendus des séances de l'Académie d'Hippone*, ann. 1888, pag. XXVII. Quod monumentum, anaglyptis

tituloque ornatum, adservatur apud egregium virum Cl. Aubert, Hippone Regio.

Aïn Fua, olim Phua, haud longe ab oppido hodie dicto Constantine (Cirta) : *C. I. L.* VIII, 6304.

Constantine, olim Cirta : *C. I. L.* VIII, 6959.

El Milia, in montibus qui surgunt inter urbes Collo (Chullu) et Mila (Mileu) : *C. I. L.* VIII, 8199.

Mila, olim Mileu : *Ephem. epigr.* V, 917 et seq.; VII, 446.

Fedj Mzala, inter Mila et Djemilah (Cuicul) : *Ephem. epigr.* V, 929.

Djemilah, olim Cuicul : *C. I. L.* VIII, 8306-8308.

c. In Mauretania Cæsariensi :

Sillègue, vel in agro gentis dictæ Beni Fouda, olim Novar : *C. I. L.* VIII, 10909 et seq.; *Ephem. epigr.* V, 933, 934; VII, 464 et seq.; *Recueil des Notices et Mémoires de la Société archéologique de Constantine*, ann. 1890-1891, pag. 380-381. Quos lapides fere omnes ipse contuli; alium etiam descripsi nuperrime repertum in ædibus villæ cujusdam, tribus millibus passuum a vico Sillègue distantis :

C. TERENTIVS
FLAVIANVS
SACERDOS. V. S. L. A

C. Terentius Flavianus sacerdos v(otum) s(olvit) l(ibens) a(nimo).

Locus, vico Sillègue propinquus, atque etiam nunc antiquo nomine Mons designatus : *C. I. L.* VIII, 8658 et seq ; *Ephem. epigr.* VII, 478. Præterea lapidem unum adhuc ineditum descripsi :

Leo jacens. Caput Saturni velatum

SATVRNO A // //////// VM.

Femina stans, tunicata, dextra tenens lotum, sinistra pini pomum	Ara	Vir stans tunicatus, in ara libans

L. AEGRILIVS HONORATVS SAC

ET AVFIDIA VICTORIA CONIVNX

Taurus dextrorsum gradiens	Vir stans tunicatus punicum malum sinistra tenens

L. AEGRILIVS SECVNDVS FIL · SAC.

Saturno A[ugusto sacr]um. L. Ægrilius Honoratus sac(erdos) et Aufidia Victoria conjunx. L. Ægrilius Secundus fil(ius) sac(erdos).

Aïn Kebira, olim Sataf : *Recueil de la Société de Constantine*, ann. 1890-1891, pag. 395; *Mélanges de l'Ecole française de Rome*, ann. 1890 (t. X), pag. 455, n. 37.

Sétif, olim Sitifi : *C. I. L.* VIII, 8443 et seq.; *Ephem. epigr.* V, 940; VII, 476.

Aïn Roua, inter Sétif et locum dictum Hr Guergour (ad Sava municipium) : *Comptes rendus des séances de l'Académie d'Hippone*, ann. 1888, pag. XCVI.

In agro gentis dictæ Ouled Agla, haud longe, meridiem versus, ab oppido Bordj bou Arreridj : *Recueil de la Société de Constantine*, ann. 1890-1891, pag. 361. Quem lapidem contulit et accuratissime delineatum mihi dedit amicissimus S. Gsell.

Aïn Bessem, quindecim fere millibus passuum ab Aumale (Auzia), septentrionem versus : *C. I. L.* VIII, 9181.

Aumale (cf. supra) : *C. I. L.* VIII, 9022.

Cherchell, olim Iol Cæsarea : *C. I. L.* VIII, 9328 et seq., 10938; *Ephem. epigr.* VII, 512, 513. Quorum titulorum alii Cæsareæ, alii Icosii, quo translati sunt, in musæo adservantur [1].

III. *Loci, ubi reperti sunt tituli sepulcrales sacer-*

---

1. Quibus addendus est titulus, nuperrime ab eruditissimo viro V. Waille repertus, quem adhuc ineditum mihi dedit Cagnat :

CERDO SATVRNO
V. S. L. A.

Cerdo Saturno v(otum) s(olvit) l(ibens) a(nimo).

dotum Saturni, at nondum lapides votivi aut vestigia templorum :

a. In Proconsulari :

Chemtou, olim Simitthu : *C. I. L.* VIII (*Suppl.*), 14610.

b. In Numidia :

H[r] Guigba, inter Batna et Zraya (Zaraï) : *C. I. L.* VIII, 4504.

Khemissa, olim Thubursicum Numidarum : *C. I. L.* VIII (*Suppl.*), 17165, 17166.

H[r] Sidi Brahim, quatuordecim circiter millibus passuum ab urbe nunc dicta Souk-Ahras (Thagaste) : *C. I. L.* VIII (*Suppl.*), 16866.

H[r] Bou Atfan, inter Guelma (Calama) et Tifesch (Tipasa) : *C. I. L.* VIII, 4839, 4840.

Sigus, olim Sigus : *C. I. L.* VIII, 5706.

Aziz ben Tellis, inter Mila (Mileu) et Djemilah (Cuicul) : *C. I. L.* VIII, 8245.

c. In Mauretania Cæsariensi :

Bir Haddada, haud longe a Sétif (Sitifi), meridiem versus : *C. I. L.* VIII, 8711.

Kherbet Fraïm, locus proximus oppido Bordj bou Arréridj : *C. I. L.* VIII, 8753.

Patet igitur ex illo indice Saturni dei cultum per omnes fere partes Africæ romanæ late diffusum esse, cujus vestigia a Carthagine usque ad Cæsaream, nec solum in regionibus mari propinquis, sed etiam in intima provinciarum parte, jam reperta sint atque in dies plura reperiantur. Non autem mirandum est nulla monumenta e Tripolitana et Mauretania Tingitana prodita esse ; quippe quæ provinciæ, ut olim minus frequentes, ita temporibus nostris multo rarius peragratæ et exploratæ sint.

Si quis insuper cognomina titulis in Africa repertis inscripta diligenter scrutabitur, extemplo animadvertet quam crebrum sit cognomen *Saturninus* et quanto crebrius quam in inscriptionibus sive Italicis, sive ex aliis orbis romani partibus : quod quidem optimum indicium est dei Saturni nomen et relligionem per Africam maxime celebrata fuisse. Quemadmodum Phœnicum et Carthaginiensium nomina sæpius ex dei supremi Baal nomine structa erant, ut *Hannibal*, *Hasdrubal*, *Muthumbal*, *Baaliaton*, *Baalsillec*, etc., ita, Romanis Africam obtinentibus, Africani sibi liberisque suis cognomen *Saturninus* libenter imposuerunt, tutelam dei Saturni sibi eo modo paratam esse rati.

Non ergo in paucis et maxime sparsis, sed in multis densissimisque templis Saturnus per Africam colebatur :

qui deus erat non pagi cujusdam, Bacacis illius instar cujus nomen toties in speluncæ parietibus sub monte dicto Taya inscriptum est[1]; non etiam civitatis unius[2], ut solent esse poliades dii vel deæ, at sane totius Libyæ omniumque gentium quæ illo tempore Africam Proconsularem Numidiamque et Mauretanias incolebant.

Ex titulis, quorum indicem supra dedimus, nonnullos ad tempus certum referre licet. Aliis enim inscripta sunt imperatorum nomina, quorum pro salute templum dedicatum aut restitutum est; ut exemplis utar, vide :

C. I. L. VIII (*Suppl.*), 12331 : *Pro sal(ute) Imp(eratoris) Cæs(aris) Antonini Aug(usti) Pii p(atris) p(atriæ)...*

Mélanges de l'Ecole française de Rome, ann. 1892 (t. XII), pag. 82, n° 356-357 : *Pro salute [Imperatoris Cæsaris L. Septimii Severi Pii Pertina]cis Aug(usti) et [M. Aurelii Antonini fili ejus] totiusque [domus divinæ...*

C. I. L. VIII (*Suppl.*), 14465 : *[Pro salute Imperatoris Cæsaris L. Se]ptimi Severi Pertinacis Aug(usti)... et Juliæ Dom[næ...*

Comptes rendus de l'Académie des inscriptions et belles-lettres, ann. 1891, pag. 439 : Thuggense tem-

---

1. *C. I. L.* VIII, 5504 et seq.; *Revue archéologique*, 1886, 3e série, t. VIII, pag. 64 et seq. — Cf. *C. I. L.* VIII (*Suppl.*), 16749 : *Diis Magifæ (pagi) sac(rum)*.
2. *C. I. L.* VIII, 6267 et seq.; qui tituli omnes a republica Phuensium G. D. A. S.? dicati sunt.

plum, ab eruditissimo medico Carton nuper effossum, L. Septimio Severo et D. Clodio Albino imperantibus, dedicatum est[1].

Comptes rendus des séances de l'Académie d'Hippone, ann. 1888, pag. XLIX : *Pro salu[te] Imp(eratoris) L. Septimi Severi Pertinacis Aug(usti)...*

C. I. L. VIII, 2670 : *Pro salute Antonini Imp(eratoris) et Juli(a)e Dom(na)e...*

Comptes rendus des séances de l'Académie d'Hippone, ann. 1888, pag. XCVI : *Pro salute D(ominorum) [nostrorum] L. Septimi Se[veri Pertinacis] Aug(usti) Arabici A[diabenici...] et M. Aureli Anton[ini...]*

C. I. L. VIII (*Suppl.*), 15515 : *[Pro salute] M. Aureli [Antoni]ni Aug(usti) pii [Parthici B]ritann[ici...*

Bulletin archéologique du Comité, 1891, pag. 536, n° 9 : *[Pro sa]lute Im[p(eratoris) Cæs(aris) L. Septimi S]everi...*

Aliis præsertim votivis lapidibus inscriptus est sive consul, sive annus provinciæ, interdum etiam additis mense et die. Quod quidem ipse notabis, si titulos in cacumine montis Bou Kourneïn effossos atque in Sitifensi Mauretania repertos perpendere voles.

Aliorum denique ætatem, quamvis neque imperatoris nomen neque consules neque provinciæ annum præ-

1. Cf. *Bulletin... d'Oran*, ann. 1893, pag. 63 et seq.

beant, circiter tamen definire licet. Quum enim civitates Thamugadi, Lambæsis, Auzia non ante secundum p. Chr. n. sæculum conditæ sint, et quum dei Saturni cultus Christianæ fidei sine dubio cesserit, inscriptiones, quæ in earum urbium ruderibus repertæ sunt, per secundum aut tertium sæculum profecto dedicatæ sunt. Plurimos etiam Thignicenses titulos doctissimi viri Ph. Berger et R. Cagnat ultimis secundi sæculi annis vel primis tertii positos fuisse firmis argumentis demonstraverunt[1].

Unde constat Saturni dei cultum per Africam romanam secundo tertioque p. Chr. n. sæculo maxime floruisse. Quippe omnium monumentorum, quibus certus inscribitur annus, antiquissimum anno 139 p. Chr. n. dedicatum est, recentissimum vero anno 272[2].

Cave autem credas hunc cultum, de quo agitur, per romanas in Africa constitutas provincias paulatim eodem modo manavisse, atque Romæ nomen et imperium. Ejus enim relligionis vestigia nequaquam plura nec magis manifesta sunt in locis ubi milites civesque Romani sedem habuerunt, Carthagine, Cirtæ, Lambæsi, Thamugadi, Cæsareæ, quam in interioribus remotisque Africæ partibus, quo sane latinus sermo, at

---

1. *Bulletin archéologique du Comité*, ann. 1889, pag. 251.

2. *Mélanges de l'Ecole française de Rome*, ann. 1892 (t. XII), p. 28, n. 42. — *Recueil des notices et mémoires de la Société archéologique de Constantine*, ann. 1890-1891, pag. 381, n. 70. Cf *Mélanges...*, loc. cit., pag. 110, not. 1.

non latini mores usque pervaserunt. Thignicam nulla deducta esse videtur colonia civium Romanorum, Thuggam nulla. Adde quod iidem fere anni inscribantur titulis prope Carthaginem repertis atque lapidibus in Mauretania Sitifensi effossis : ut enim nonnullæ Saturno Balcaranensi annis p. Chr. n. 139 (loc. cit., n. 42), 166 (n. 17), 167 (n. 98), 168 (n. 99), 176 (n. 100), 181 (n. 101), 182 (n. 103), 183 (n. 104), 184 (n. 105), 186 (n. 106) dedicatæ sunt inscriptiones, ita duobus titulis, alteri Sitifensi, alteri in oppido Zaraï reperto, inscribitur annus 149, quo consulatum egerunt Sex. Cornelius Scipio Orfitus et Q. Nonius Sosius Priscus[1]. Carthago autem et vicina jam secundo ante Chr. n. sæculo imperio romano subjecta erant; Sitifim contra et Sitifensem Mauretaniam tantummodo secundo p. Chr. n. sæculo obtinuerunt Romani. Quare, mea quidem sententia, patet dei Saturni cultum, haud minus circa Sitifim quam prope Carthaginem, imperante Pio, vivacem, non in Africam a Romanis allatum, at Saturnum ante Romanos ipsos, alio nomine, ut infra apparebit, ab incolis Numidiæ et Mauretaniæ sæpissime invocatum esse. Quis fuerit deus ille, quo cultu et a quibus honoratus, quantum et quomodo ea Pœnorum Numidarumque et Maurorum relligio, Romanis auctoribus, mutata sit, meum est inquirere.

---

1. *C. I. L.* VIII, 4512, 8458.

II

Qui re vera fuerit ille deus quem Africani Saturnum dicebant.

Plerique lapides votivi *Saturno Augusto* dedicati sunt. Verbum autem *Augustus*, quum omnibus fere numinibus, imperii romani tempore, attributum sit, nullum indicium nobis præbere potest. At nonnunquam Saturni nomini adscripta sunt cognomina, quæ notare et curiosis oculis perspicere jam nunc expedit.

Sæpius enim *Dominus*, vel *Sanctus* aut *Deus Sanctus*, vel etiam *Deus Magnus* aut *Invictus* invocatus est Saturnus :

C. I. L. VIII (*Suppl.*), 12126 : [*do*]*mini Saturni*...
Id. 2670 : *Saturno domino... sac*(*rum*).
C. I. L. VIII, 4512 : *Deo* [*do*]*mi*[*no*] *Saturno Au-g*(*usto*) *sac*(*rum*).
Id. 6353 : *Ex imperato domini Sat*[*urni*].
Id. 8452 : *Sacerdos domini Sa*[*turni*].
Id. 8461 : *Sacerdos domini Saturni.*
Id. 9329 : ... *domino Saturno.*

Adde : *Mélanges de l'Ecole française de Rome*, ann. 1892 (t. XII), pag. 19, n. 4; pag. 22, n. 17; pag. 72, n. 296, et supra (pag. 14) : *Domino Sobaresi.*

Cagnat, *l'Année épigraphique,* 1890, n. 126: *San(c)to Satur(no)...*

C. I. L. VIII, 8449 : *Sacerdos D(ei) sanc(ti) Satur(ni).*

Id. 9181 : *Deeo* (sic) *sancto Saturno sacrum.*

Mélanges de l'Ecole française de Rome, loc. cit., pag. 19, n° 3 :

Sacerdos dei magni Balcara [nensis].

Cf. *Id.*, *ibid.*, pag. 31, n. 57.

C. I. L. VIII, 2667 : *Deo invicto Saturno sacr(um).*

Id. (*Suppl.*), 12494 : *[Satur]no do[mino n]umin[i inv[icto.*

« *Saturnum dominum* » doctissimus vir Héron de Villefosse omnino idem valere existimavit atque « *Saturnum Baal*[1] » : quam sententiam Ph. Berger et R. Cagnat jure, ut mihi videtur, impugnarunt[2]. *Dominus* enim vocatus est Saturnus etiam extra Africam (*C. I. L.* V, 4013, 5000, 5021, 5023, 5068), in regionibus ubi nullum dei Baal vestigium unquam repertum est. Præterea ex titulis votivis, qui in summo monte Bou Kourneïn nuper effossi sunt, plerique Saturno Balcaranensi dedicati sunt; quod nomen « *Balcaranensis* » nihil aliud esse videtur quam vocabulum « *Baal Qar-*

---

1. *Revue archéologique* (1876), I, pag. 127 : *Inscriptions latines récemment découvertes dans la province de Constantine.*
2. *Bulletin archéologique du Comité*, ann. 1889, pag. 247.

naïm » de punico sermone in latinam linguam transcriptum[1]. Unus autem certo, forsitan nonnulli eorum lapidum « *Saturno domino Balcaranensi* » sacrati fuerunt. Quod si verbum latinum *dominus* vocabulo punico *Baal* responderet, dei Baal nomen haud merito iteraretur. Multo verisimilius est hanc appellationem « *dominus* » punico verbo « *adôn* » conferendam esse, quo supremum Carthaginiensium numen in votivis lapidibus plerumque designatur.

Ex illis cognominibus : *dominus*, *deus sanctus*, *deus magnus*, *deus invictus*, sive Saturno pro epithetis adjectis, sive rarius pro nomine ipso usitatis[2], jam apparet hunc Saturnum Africæ incolis non deum fuisse, cujus numen intra certos fines inclusum esset mythusque ex nonnullis fabulis constaret, ut solent Græcorum dii, at deum quemdam supremum universumque et infinitum. Itaque minime mirum est Jovem Optimum Maximum Saturno a Thevestinis, ut ita loquar, permixtum esse, in ea civitate ubi usque ad tempus Hadriani imperatoris legio III Augusta sedem habuit[3]. Quemadmodum enim Romanis civibus Jupiter Optimus Maximus numen quasi publicum erat, ita omnes Africani pro deo su-

---

1. *Mélanges de l'Ecole française de Rome*, ann. 1892 (t. XII), pag. 102-104.
2. *Mélanges de l'Ecole française de Rome*, ann. 1892 (t. XII), pag. 19, n. 3. — *Comptes rendus des séances de l'Académie d'Hippone*, ann. 1889, pag. XIV.
3. *C. I. L.* VIII, 10624 : I O M S A S (*Jovi Optimo Maximo Saturno Augusto sacrum*). — *Ephem. Epig.* V, 651; *Comptes rendus des séances de l'Académie d'Hippone*, ann. 1888, pag. IX.

premo Saturnum coluisse videntur : quod quidem ex anaglyptorum observatione et interpretatione multo clarius infra videbimus.

Interdum vero Saturno datum est cognomen *Frugifer* vel *deus frugum :*

C. I. L. VIII, 2666 : *Frugifero Saturno Aug(usto) sac(rum).*

Id. *ibid.* 4581 : *Deo frugum Saturno frugifero Aug(usto)*

Id. *ibid.* 8826 : *Deo sanc(to) Frug(ifero) Aug(usto) sac(rum)*

Comptes rendus des séances de l'Académie d'Hippone, ann. 1888, p. XLIX : *Deo sancto Frugifero Aug(usto).*

Id., *ibid.*, p. XCVI : *Deo Frugum* ou *Frug(ifero).*

Qui tituli diversis Numidiæ et Mauretaniæ locis reperti sunt, hic Lambæsi, ille Dianæ, alius Sertei, alius Masculæ, alius denique in loco nunc dicto Aïn Roua, haud longe, inter septentrionem et occidentem, a Sitifi civitate. Adde etiam Thignicenses votivos lapides sæpius anaglyptis ornatos, ex quibus constare mihi videtur in ea parte Africæ Proconsularis Saturnum pro deo frugifero præsertim invocatum esse. Omnes autem ad idem tempus referendi non sunt : quorum duo[1]

1. *Comptes rendus des séances de l'Académie d'Hippone*, ann. 1888, pag. XLIX, pag. XCVI.

pro salute imperatorum L. Septimi Severi et M. Aureli Antonini, id est exeunte secundo vel ineunte tertio p. Chr. nat. sæculo, dedicati sunt, alius autem[1] anno provinciæ Mauretaniæ 208, id est anno p. Chr. nat. 247. Saturnus igitur per omnes Africæ romanæ regiones et diversis temporibus ab agricolis maxime cultus est. Quem peculiarem dei vultum ex anaglyptis propius observare et explorare meum est.

Nonnullis etiam aliis *Saturno* nomini adjectis cognominibus insistendum videtur. Ex titulis in cacumine montis Bou Kourneïn effossis, plurimi Saturno *Balcaranensi* vel *Balcaranesi* consecrati sunt, unus contra Saturno *Neapolitano*. Ipse alias monstravi, Philippo Berger adjuvante, Saturnum Balcaranensem eum Saturnum esse, qui deo Baal in summo monte « *Amborum Cornuum* » dicto (hodie Djebel Bou Kourneïn) respondeat. Illud igitur cognomen ex loco templi ortum est[2].

Pariter Saturnus Neapolitanus haud alius est quam Saturnus in Neapoli civitate (nunc Nabeul) honoratus. At quomodo titulus Saturno Neapolitano dicatus in Saturni Balcaranensis templo reperiri potuit? Quod quidem non mirabitur, qui meminerit viam Carthagine ad Neapolim plane sub radicibus montis Amborum Cornuum per locum dictum *Ad Aquas* transire. Quidam sane Neapolitanus, quum in patriam, rebus forsitan prospere

---

1. *C. I. L.* VIII, 8826.
2. Cf. *Mélanges...*, loc. cit., pag. 102-104.

gestis, reverteretur, jam inter viam Saturno votum solvere voluit, in eo, quod sibi primum obvium foret, Saturni templo; id autem fuit Saturni Balcaranensis. Saturni vero proprii sui memor, non Balcaranensi, sed Neapolitano deo titulum dedicavit. Quod quidem optimum argumentum esse videtur, Saturnum Balcaranensem omnino eumdem esse atque Neapolitanum, eaque cognomina pure, ut ita dicam, geographica esse. Quibus adjiciam hoc *Sobarensis* aut *Sobaresis* cognomen, aliquot lapidibus inscriptum, quos in faucibus Khangat el Hadjadj nunc dictis repertos edidit eruditissimus vir P. Delattre[1]. Verisimile enim est eum locum, unde tituli effossi sunt, olim *Sobar* nuncupatum esse; quod vero verbum Sobar adhuc ignotum est[2].

Unum denique titulum hic proferam, in quo nominatur Saturnus Achaïæ[3]. Quum monumentum illud a gente Bacchuiana, id est ab indigenis incolis, dedicatum sit, inde apparet eum Saturnum, quem Græci colebant, id est Κρόνον, apud Africanos minime notum esse. Si enim Saturnus Afrorum idem esset atque Κρόνος, quid opus erat verbum *Achaïæ* adjicere?

Jam ex titulorum perscrutatione constat hunc deum Saturnum, qui per romanas Africæ provincias ubique cultus est, numen quasi supremum et universum fuisse,

1. *C. I. L.* VIII (*Suppl.*), 12390, 12392 et 12394, et supra pag. 14.
2. *Bulletin archéologique du Comité*, ann. 1889, pag. 273 et seq.
3. *C. I. L.* VIII (*Suppl.*), 12331.

cui cognomen ex loco templi vel ex urbe ortum interdum datum est, sæpe autem ab agricolis Frugiferum vel Frugum deum invocatum esse.

At lapidibus votivis non tantummodo tituli inscripti, sed etiam anaglypta, plerumque rudia, insculpta sunt. Supra inscriptionem fingi solent aut deus ipse sub humana specie, aut signa nonnulla per quæ etiam exprimitur Saturni numen. Quæ anaglypta, sive dei effigies sive numinis symbola, nunc perspicienda et interpretanda sunt. Ea autem, quum inter se dissimilia nec simul eodemque modo describenda sint, per series disposui, quas ex ordine scrutari libet.

I. Si quis multa diversissimis locis, in vertice montis Bou Kourneïn et in faucibus hodie dictis Khangat el Hadjadj et Thignicæ, et in ea regione Africæ romanæ per quam nunc transeunt incerti fines inter Algeriam et Tunisiam, reperta monumenta conferet, sane mirabitur eos lapides, quorum tituli latinis litteris et latino sermone scripti sunt, graphidibus et anaglyptis ornatos esse, quæ, ut ita loquar, punice omnino redolent. Hic enim discum, illic lunam crescentem, illic stellam, illic lunam crescentem sub disco, illic etiam discum et lunam inter duas palmas aut inter duos caducæos aut inter duas stellas videre est[1]. Quæ signa nullum pro-

1. Vide pag. 34, Tab. I, ubi describuntur nonnulla symbolica signa, per quæ Saturni Afrorum numen in lapidibus votivis exprimi solebat.

TAB. I.




Fig 1.




Fig. 2.




Fig. 3.




Fig. 4.



Fig. 5.



Fig. 6.




Fig. 7.

fecto monumentum græcum vel romanum, sed fere omnes votivi lapides præbent, quos Carthaginienses supremo deo Baal, aut deæ Tanit, aut simul Baal et Tanit dedicare solebant[1]. Non igitur dubium est ea symbola in Africam ab Italia non illata esse; talibus figuris jam utebantur Pœni ad deos suos exprimendos multo prius quam Romani ad Libyca littora naves primum appulerunt. At nunc inquiram quid significent.

Compertum est discum, etiam non radiatum, pro imagine solis habendum esse; cujus disci forma non semper eadem votivis lapidibus insculpitur. Modo enim linea una in orbem circumcurrit, modo intra orbem trahuntur lineæ seu rectæ seu curvæ, quæ ita in medium congruunt, ut non jam discus, sed vel rosa vel rota ficta esse videatur. Ut disco sol, ita luna crescente luna, et stellis astra cetera redduntur. Quum autem hujus Saturni numen aut disco solo, aut disco et luna crescente, aut interdum etiam disco inter duas stellas posito exprimatur, mea quidem sententia constat hunc Saturnum nihil aliud esse quam totius cœli et cœlestis luminis deum. Ea vero relligionis ratio antiquissima neque Africæ romanæ propria fuit. Quemadmodum Tyrii et Sidonii Pœnorum majores sunt, ita Baal, quem Phœnices maximum deum colebant, Saturni Afrorum avus dici

1. *Corpus Inscriptionum Semiticarum*, Pars prima inscriptiones phœnicias continens, tomus II. Tabulæ : 446, 450, 468, 536, 545, 575, 590, 591, 598, 606, 662, 667, 689, 713, 752, 756, 760, 772, 798, 900, 917.

potest. Priusquam enim exortæ sunt fabulæ, per quas mythica deorum Baal-Hammon, Baal-Melkarth, Baal-Moloch facinora nota sunt, priusquam Baal in plures *Baalim* dispersus fuit, illis temporibus quibus hominum relligiones nondum definitæ eruditæque erant, solem et cum sole totum cœlum numen supremum omnes habebant, quod, ut exemplis utar, apud Phœnices Baal, apud Chaldæos Bel invocatum est. Dein hoc numen quasi unicum divisum est : alii, quum animadverterent solis ignibus nunc benignis terram fecundari, nunc contra perniciosis omnia per agros uri et consumi, duo deos creaverunt, quorum alter boni cujusque fons erat, alter vero mali cujuscunque causa, quales sunt apud Indos *Siva* et *Vichnou*, apud Persas *Ormuzd* et *Ahriman*. Aliis vero visum est virum et feminam in supremo numine diducere, ita ut viro attributa sit ea vis, per universum orbem diffusa, qua fecundantur omnia, feminæ ea altera vis concipiendi gignendique : sic Phœnices Baal simul et Tanit coluerunt, Ægyptii Osiridem una cum Iside. Quum porro non personis, sed potius symbolicis signis uteretur semitica Phœnicum gens, sub specie solis fictus est maximus deus Baal, sub forma lunæ crescentis suprema dea Tanit-Astarte. Ut apud Tyrios Sidoniosque, ita apud Carthaginienses res se habuit. Unde constat per solis discum et lunæ crescentis imaginem una coactos nihil aliud exprimi posse quam numen illud supremum, cujus ambo elementa, in principio congregata, paulatim discreta sunt.

Quod neque palmæ infirmant neque caducæi, disco et lunæ crescenti nonnunquam appositi. Etenim pro certo habendum est palmam, sive reipsa hanc arborem reddat, cujus pomum per omnes Orientis partes et per Africam jure tanti æstimatum est atque etiam nunc æstimatur, sive pro schemate ejus symbolicæ figuræ habeatur, quæ, a recentioribus *arbre de vie* nuncupata, tot et tantis monumentis ex Asia anteriore et ex India insculpta est, symbolum esse ex Oriente ortum, per quod universa vita exprimatur [1]. Quid vero significet caducæus ille, quo sæpissime ornantur Pœnorum votivi tituli, non adhuc plane liquet ; quum autem in nonnullis lapidibus stellarum aut disci locum obtineat, verisimile est per hoc signum, sicut per discum aut per stellam, numen illud totius cœli cœlestisque luminis indicari [2]. Ut igitur supra ex titulis, ita nunc ex anaglyptorum observatione patet Saturnum in Africa haud alium esse quam Phœnicum et Pœnorum supremum deum Baal.

II. Non autem tantummodo per symbolica, a Pœnis accepta, signa Saturni numen Afri exprimebant ; sed etiam in multis monumentis effingitur deus humano vultu. Quod ipse compertum habebis si plerosque in cacumine montis Bou Kourneïn effossos titulos inspicies nec non aliquot Thevestinos, Lambæsitanos Auzien-

---

1. Goblet d'Alviella, *La migration des symboles*, pag. 147 et seq.
2. Goblet d'Alviella, *op. cit.*, pag. 282 et seq.

TAB. II.




Fig. 1.




Fig. 2.




Fig. 3.

sesque lapides. Ea documenta, quum maximi momenti sint, propius inspicere et diligentius describere liceat[1].

Primo notandum est deum Saturnum non una effigie, sed tribus figuris reddi. Summo enim lapidi, supra inscriptionem, tres protomæ, semper eædem, insculpuntur. Quarum media hunc Saturni vultum refert, quem per monumenta græca et romana novimus, id est barbati senis, cujus vertex velatus est, tristem faciem, juxta quam hinc patera illinc falx aut harpe plerumque delineantur. Ea vero figura, quæ a græcis sculptoribus, post Alexandri magni regnum, concepta esse videtur, præcipue deus græcus Κρόνος depingitur, Urani filius Jovisque pater[2]. A sinistra cernitur formosi juvenis caput radiatum, cujus crines eleganter compositi sunt, et prope quod sæpius effingitur flagellum. Quæ protome nonnisi dei Solis imago, apud Græcos Ἡλίου dicti, esse potest. Radiorum enim corona significatur quantum fulgeat diei lumen, et nonnulla ex Africa monumenta solis imaginem sub simplicissima specie rotundæ faciei radiis cinctæ præbent. Ita fit in lapidibus votivis, adhuc ineditis, quæ olim in musæo Mohammetano, nunc in musæo dicto Alaoui, prope Tunetem, collecta sunt; ita etiam in plurimis monumentis, Mactari nuper effossis,

---

1. Vide pag. 38, Tab. II, ubi delineata sunt duo titulorum fragmenta, in vertice montis Bou Kourneïn reperta (fig. 1 et 2), et Lambæsitani cujusdam lapidis summa pars (fig. 3).

2. *Mélanges de l'Ecole française de Rome,* ann. 1892 (t. XII), pag. 91. Baumeister, *Denkmæler des klassischen Altertums*, II, pag. 798.

quibus inscripti sunt sermone punico recentiori tituli deo Baal Hammon dedicati. Per flagellum autem memoratur, ut perhibent Græcorum fabulæ, quam splendidum quadrigam deus Sol per aerios campos quotidie ducat.

A dextra respondet pulchræ virginis imago, cujus vel capiti superposita sunt lunæ crescentis cornua, vel interdum frons nimbo, ut velo quodam, circumdatus; sæpissime etiam tæda protomæ apposita est. Unde constat hanc virginem deam esse, quam Græci Σελήνην et Latini Lunam Noctilucam vocabant. Ut enim radiis Sol, ita cornibus lunæ crescentis Luna demonstratur; nimbo autem, quo cingitur deæ caput, quasi effinguntur nubes, inter quas lento lapsu per caliginem noctis decurrere luna videtur; tæda denique significat nocturni sideris pallidum lumen. Notum est talem figuram semper deæ Lunæ attributam esse, haud secus ac deo Soli formosi et radiati juvenis vultum. Patet igitur, mea quidem sententia, eam triada, quæ multis Saturno Afrorum dedicatis lapidibus insculpta est, e tribus iis numinibus constare, quæ apud Græcos Κρόνος καὶ Ἥλιος καὶ Σελήνη, latino vero sermone Saturnus et Sol et Luna vocari solebant.

Quanquam ex illis monumentis pleraque maxime rudia sunt et nonnulla omnino informia, propius tamen observandæ sunt aliquot in vertice montis Bou Kourneïn repertæ marmoreæ tabulæ, in quibus tres figuræ Saturni, Solis et Lunæ semper eodem modo dispositæ sunt, ita ut a sinistra Sol surgere, a dextra Luna occi-

dere videatur; interdum etiam sub Solis protome per sinuosas lineas effingitur mare, unde quotidie Solem egredi perhibebant[1]. Quum autem deus Sol et dea Luna, ille dum surgat, illa dum occidat, in aliis monumentis sive græcis sive romanis haud aliter conjuncti sint atque in nostris lapidibus, et quum his duobus signis, communi eruditorum virorum sententia, tempus æternum ante oculos quasi exprimatur, inde non dubium est per illam nostram triada Solis Lunæque cœlestia lumina atque simul tempus, astrorum cursu ordinatum, sub imagine corporea depicta fuisse. Quam profecto subtiliorem et reconditam relligionem non intelligebant omnes Africæ romanæ incolæ, plerique rustici vel pagani vel parvarum urbium indigenæ cives; at saltem, quum Saturno deo votivos lapides dedicarent, quibus insculptæ erant imagines Saturni latini et Solis et Lunæ, optime noverant hunc deum, quem tunc invocabant, plane eumdem esse atque numen illud supremum quod, Pœnis imperantibus, Baal nuncupatum, imprimis disco et luna crescente, symbolicis signis, expressum erat; sub ditione Romanorum, nomine et figura mutatis, numen semper idem erat.

III. Aliis etiam votivis lapidibus Thevesti, in Mauretania Sitifensi atque Auziæ repertis aliter exprimitur

1. Vide Tab. II (fig. 1 et 2).

Saturni dei numen[1]. Ex eis monumentis nonnulla, duo Thevestina atque unum Auziense, Solis capite radiato et Lunæ imagine ornata sunt; plura vero et diversa anaglypta præbent. At Sitifensibus lapidibus insculptæ sunt peculiares figuræ, quas nusquam alibi per Africam in titulis Saturno consecratis inspicere est.

In eis monumentis, quæ nunc diligenter perpendere libet, Saturnus deus humano vultu fingitur, nunc tantummodo protome, nunc contra stantis aut sedentis viri figura; cujus caput barbatum comatumque velo, ut solet, quod in humeros utrinque incidit, tegitur, et corpus plerumque tunicatum est, rarius nudum[2]. Non eadem omnibus lapidibus anaglypta insculpta sunt. Hic deus altera manu sive obuncam falcem sive harpen tenet, altera rotundum aliquid quasi perforatum, quod vulgo neque injuria favus habetur[3]. Quum autem ab antiquis scriptoribus et poetis apes ob fecundum constantemque laborem semper laudatæ sint, quumque mel ante omnia suavitate præstare convenerit, forsitan per illum favum oculis monstratur Saturnum feraci et pacatæ diligentiæ imprimis favere strenuisque hominibus beneficia largiri. Porro apud C. Plinium legitur « Optima (cera) punica est »[4]. Apes igitur in Africa maxime

---

1. *C. I. L.* VIII (*Suppl.*), 16696, 16697; — *C. I. L.* VIII, 8443 et seq.; 10909 et seq.; 8658 et seq.; *Ephem. Epigr.* V, 933, 934, 940; VII, 464 et seq.; 476, 478; — *C. I. L.* VIII, 9022.
2. Cf. Clarac, *Musée de sculpture*, Tab. 161 C, n. 9.
3. *Ephem. Epigr.* VII, 468. Vide pag. 43, Tab. III (fig. 1).
4. *Hist. nat.* XXI, 14, 49.



Fig. 1.



Fig. 2.

et optime colebantur, neque mirandum est favum juxta falcem obuncam nonnunquam in votivis monumentis dispositum esse : ut falx deum agricolis secundum, ita favus apium protectorem fuisse Saturnum denuntiat[1].

Hic deus leoni, cujus vultus est informis faciesque torvissima, insidet aut adstat, aut etiam prope deum caput leonis videre est[2]. Compertum autem habemus Sitifensem regionem primum, secundo p. Chr. n. sæculo ineunte, a Romanis occupatam esse, quo tempore Nerva imperator coloniam veteranorum in urbem Sitifim misit[3]. Tunc leonis imago ea sæpissime votiva monumenta ornabat, quæ numinibus Romam ab Oriente advectis, præsertim Matri Deum Magnæ Idææ et Mithræ, sacrata erant. Cybelen enim leones seu curru vehunt seu solio insidentem comitantur et Mithra in pluribus lapidibus *leontocephalus* est[4]. Quorum deorum, ut Ægyptiorum Serapidis et Isidis et Syrii Jovis Heliopolitani, cultus secundo et tertio p. Chr. n. sæculo per Italiam omnesque orbis romani occidentales partes diffusus

---

1. Cyrenæi Saturnum colebant mellis, inter alia poma, inventorem (Roscher, *Lexicon der gr. u. röm Mythologie* II, pag. 1511-1512).
2. *Ephem. Epigr.* VII, 464, 469, 473; V, 940; VII, 476; v. infra pag. 50, et Tab. III, fig. 2.
3. *C. I. L.* VIII, pag. 722.
4. Quod Cybelen attinet, cf. Daremberg et Saglio, *Dictionnaire des antiquités grecques et romaines*, ad v. *Cybele*, I, pag. 1684 et seq., fig. 2242, 2245, 2246 (ubi juxta Cybelen leoni adsidentem effinguntur cornua lunæ), 2247, 2250, 2251, 2252, 2253; quod vero Mithram, cf. Cumont, Monuments figurés relatifs au culte de Mithra (*Revue archéologique*, ann. 1892, t. XX, pag. 306 et seq.) : 76 b, 76 c, 96 ; (*Id.*, ann. 1893, t. XXI, pag. 40 et seq.): 223, 237, 252, 261, 262 c.

est : circa Sitifim reperti sunt votivi lapides Mithræ (*C. I. L.* VIII, 8840), et Cœlesti deæ (*Id.*, ibid., 8432, 8433), et Matri deum Magnæ Idææ (*Id.*, ibid., 8656) dedicati. Iis autem numinibus, sive diis sive deabus, quorum quodque supremum habebatur[1], non omnino dissimilis erat ille Afrorum Saturnus, olim Baal, ipse quoque ab Asia oriundus. Quum igitur, Romanis auctoribus, aliud nomen aliamque figuram Numidæ et Mauri deo, quem colere solebant, dederunt, Mithræ et Matris Magnæ memores, sive leonem sive leonis faciem juxta Saturnum effinxerunt. At nobis non credendum videtur dei Saturni numen ob hanc leonis imaginem in Mauretania Sitifensi aliud fuisse atque in plerisque Africæ romanæ regionibus : figura mutata, deus semper idem erat. Non enim ita expressi sunt, ut sæpe fit, torrentes et messibus exitiosi solis ignes ; nonnunquam contra vel Saturnus cum leone vel leonis torvissima facies deus frugifer invocabatur[2]. Sæpius autem *deo domino* aut

1. Ita enim apud Apuleium (*Metamorphoseon*, XI) loquitur Isis : « En adsum tuis commota, Luci, precibus; rerum Natura parens, elementorum omnium domina, seculorum progenies initialis, regina Manium, prima cœlitum, deorum dearumque facies uniformis : quæ cœli luminosa culmina, maris salubria flamina, inferorum deplorata silentia, nutibus meis dispenso. Me primigenii Phryges Pessinunticam nominant Deum Matrem; hinc Autochtones Attici Cecropiam Minervam; illinc fluctuantes Cyprii Paphiam Venerem; Cretes sagittiferi Dictynnam Dianam; Siculi trilingues Stygiam Proserpinam, Eleusinii vetustam deam Cererem, Junonem alii, Bellonam alii, Hecatam isti, Rhamnusiam illi, et qui, nascentis dei Solis inchoantibus illustrantur radiis Æthiopes, Ariique, priscaque doctrina pollentes Ægyptii, cærimoniis me propius percolentes, appellant vero nomine reginam Isidem... »

2. Arnobius, *Adversus nationes*, VI, 10 (Ed. Reifferscheid) : *Inter deos*

deo sancto lapides dedicati sunt, id est illi supremo et quasi unico numini cujus cultus per fere omnes Africæ, prius punicæ, dein romanæ partes diffusus est [1].

Aliis Sitifensibus monumentis etiam alia Saturni effigies insculpta est. Nonnunquam « inter duos genios » aut inter duos adolescentes quorum uterque habenis equum altera manu tenet, altera hastam, dei imago, nunc protome, nunc leonis facies, posita est [2]. Quum in incerto sit quid valeant « genii », saltem non dubium est per ambos equites nudos aut seminudos Dioscuros, Castorem et Pollucem, reddi. Neque ex Africanis monumentis lapides tantummodo, de quibus hic agitur, iis figuris ornati sunt : inter enim Geminos hic Jupiter est,

TAB. IV.




Fig. 1. — Inter Geminos Jupiter est (pag. 46).

---

videmus vestros leonis torvissimam faciem mero oblitam minio et nomine frugiferi nuncupari.

1. *C. I. L.* VIII, 8449, 8452, 8461.

2. *C. I. L.* VIII, 8443, 8444, 8451, 8453 = L. Renier, *Inscriptions d'Algérie*, nº 3317 : *Buste voilé entre deux chevaux et deux hommes tenant chacun sa lance.*

TAB. IV.




Fig. 2. — Inter Geminos sacra conficiuntur.

illic sacra conficiuntur[1]. Castor autem et Pollux a Romanis maxime culti sunt; per totum orbem romanum ædes Castoris et Pollucis, in foro dicata, inclyta erat : quos venerabantur et equites, et nautæ, atque etiam negotiatores. Sæpe vero, præsertim in anaglyptis, Gemini fratres alter dextra, alter sinistra disponebantur, inter quos medium tenebant una pluresve figuræ : quod quidem haud raro in marmoreis sarcophagis fiebat[2]. Quum res ita se habet, nihil aliud per Dioscurorum effigiem significatur quam sive hinc matutinum, illinc vespertinum tempus, sive hinc ortus, illinc mors, sive etiam omnium rerum hinc initium, illinc finis. Imo nonnunquam simul cum Lunæ et Solis imaginibus ita effingebantur Gemini, ut alter pro Sole oriente, alter post Lunam occidentem incederet[3]. Nemini ergo audacius videbitur, si quis existimabit Dioscuros in lapidibus Saturno consecratis fere idem valere atque Solis et Lunæ imagines, quas interpretari supra jam tentavi, atque etiam discum et lunam crescentem, punica signa. Quum vero omnibus manifestum sit quomodo et quare pro disco juvenis radiati figura, et pro luna crescente formosæ, nonnunquam

1. Ex iis lapidibus, alter, olim in musæo dicto Mohammetano (*C. I. L.* VIII, pag. 145), nunc in musæo dicto Alaoui, prope Tunetem urbem, servatur adhuc ineditus; alter ibidem, et ipse ineditus. Eos lapides, quum sint ambo inediti, describendos arbitratus sum : vide pag. 46-47, Tab. IV, fig. 1 et 2.

2. Cf. Daremberg et Daglio, *Dictionnaire des antiquités grecques et romaines*, ad verb. *Dioscuri*, t. II, pag. 264, fig. 2448, 2449.

3. Daremberg et Saglio, *opus cit.*, t. II, pag. 264, fig. 2448.

velatæ, virginis protome votivis monumentis insculptæ sint, contra, mea quidem sententia, necesse est Castoris et Pollucis fabulam a Romanis militibus veteranisque, una sane cum Mithræ et Matris Deum cultu, in Sitifensem regionem secundo p. Chr. n. sæculo allatam esse.

Ut igitur e leonis facie, ita e Dioscurorum imaginibus constat pristino Numidarum et Maurorum numini novam, Romanis auctoribus, formam, relligione et cultu ceteroquin immutatis, datam esse. Ad quam formam propius observandam duo monumenta, prope Thevestem in loco hodie Gonnifida dicto reperta[1], eo diligentius describere nunc libet, quod ex iis unum ita dedicatum est : *Jovi optimo Maximo Saturno Augusto sacrum.* Cui inscriptum est nomen C. Pomponii Felicii dedicantis, atque insculpta sunt multa anaglypta, inter quæ præsertim dei effigiem, in summo lapide expressam, inspicere est.

A sinistra sedet femina stolata, vertice velato, utraque manu genibus imposita et indistinctum aliquid tenente; a dextra sedet Saturnus, tunica talari vestitus, capite, ut solet, velato, sinistra manu velum, dextra harpen tenens. In medio supra disposita sunt, a sinistra prope feminam sedentem virginis caput luna crescente coronatum, a dextra juxta Saturnum juvenis radiati figura; infra leo sedet sinistrorsum, capite genibus feminæ sedentis niso. Sub

1. *C. I. L.* VIII (*Suppl.*), 16696, 16697; cf. supra, pag. 16.

illis imaginibus duo equites incitato cursu sinistrorsum vehuntur, inter quos ficta sunt pini poma.

Non omnino iisdem, similibus tamen anaglyptis ornatus est lapis alter. Supra a sinistra solio insidet femina stolata et velata, utraque manu genibus imposita, sinistra lotum, dextra pateram tenente; sub ea utrinque taurus jacet. A dextra sedet Saturnus, barbatus velatusque senex, seminudus; sinistra velum, dextra genu imposita harpen tenet; sub eo utrinque aries jacet. Infra sculptæ sunt a sinistra tunicatæ et lunæ crescentis cornibus quasi coronatæ virginis protome, a dextra juvenis radiati figura, inter quæ in medio est leonis caput.

Iis igitur monumentis numen illud supremum, cui etiam additum est Jovis Optimi Maximi nomen, per plures figuras exprimitur. Quid de juvenis radiati et virginis lunæ crescentis imaginem in fronte gerentis capitibus existimandum sit, jam exposui; at nunc ad duplicem figuram feminæ sedentis et Saturni velati oculos animumque intendamus. Nemini dubitandum est quin per hunc senem sedentem, barbatum velatumque et sinistra velum, dextra harpen tenentem, Saturnus deus effictus fuerit; quam enim figuram reperies, si marmoreum altare, sub Albanis montibus effossum, cujus lateribus fata Jovis explicata sunt, attentis oculis inspicies[1]. Femina autem, Saturno in Thevestinis mo-

1. Baumeister, *Denkmæler des klassischen Altertums*, II, pag. 798, fig. 862.

numentis associata et quasi opposita, nihil aliud nobis videtur esse quam illa dea, diversis nominibus invocata, Rhea, Cybele, Mater Deum, Ops Regina, fecundæ et genitricis naturæ numen.

Cujus profecto imagines non multæ nobis traditæ sunt; plerumque vero dea insidens efficta est aut solio aut currui quem leones vehunt; semper caput velatum est neque raro genibus utraque manus nititur[1]. Deæ porro leones maxime dilecti erant, et tauri sacrabantur.

Lapidibus igitur, in loco Gonnifida dicto repertis, Saturni dei numen duplici forma redditum est, hinc per Solis et Lunæ imagines, illinc per Saturni-Κρόνου et Rheæ-Cybeles figuras. Quemadmodum autem Græcorum Κρόνος et Romanorum Saturnus Phænicum deo Baal jure æquandi sunt, ita Rhea aut Cybele aut Mater Magna omnino eadem est atque Pœnorum Tanit et Ægyptiorum Isis. Unde manifestum videtur per Saturnum et Cybelen ita coactos idem significari ac per Solem et Lunam, id est eam universam naturæ vim et potentiam qua omnia in mundo gignuntur et aluntur. Neque mirum est Cybeles vel Rheæ nomen et cultum in Thevestinam regionem usque penetravisse, quum ante Hadrianum imperatorem Thevesti posita essent castra stativa legionis III Augustæ, quo tempore milites plurimi extra Africam in eam conscriberentur[2].

---

1. Vide supra, pag. 44, not. 4.
2. R. Cagnat, *L'armée romaine d'Afrique*, pag. 497 et pag. 353-354.

Item, juxta Lambæsim, quo castra legionis secundo p. Chr. n. sæculo translata sunt, repertus est titulus templi *Saturno domino et Opi reginæ* pro salute imperatoris Severi Antonini et Juliæ Domnæ dedicati [1].

Ergo in omnibus locis, ubi sedem habuerunt advenæ in Africam ab aliis imperii partibus immigrati, ut in Sitifensi regione, ita circa Thevestem et Lambæsim, antiquo Numidarum Pœnorumque numini nova forma, a Græcis et Romanis mutuata, quasi induta est : deo, ad quem exprimendum antea, semitico more, symbolicis signis utebantur, humanum vultum attribuerunt Africæ romanæ incolæ.

Ex omnibus monumentis, quæ jam diligentissime perscrutari tentavi, probatum mihi hoc videtur eum Saturnum, quem omnes Africæ romanæ gentes coluerunt, non Κρόνῳ Græco neque Saturno Latino conferendum esse, eumdem vero fuisse atque supremum Phœnicum Pœnorumque deum Baal, id est numen universum et infinitum; quem deum, non a Græcia neque ab Italia illatum, sed Carthaginis ruinæ multo anteriorem, Romani, nedum delerent, acceperunt et tuiti sunt, nomine, sed non numine, mutato.

IV. At nunc oculos mentemque ad votivos lapides convertamus, aliis et peculiaribus signis ornatos. Quorum

---

1. *C. I. L.* VIII, 2670.

TAB. V.



Fig. 1.



Fig. 2.

plerique Thignicæ, in Africa proconsulari[1], et nonnulli Masculæ[2], in civitate Numidiæ, sub radicibus Aurasii montis, inter Thevestem et Lambæsim sita, reperti sunt.

---

1. *C. I. L.* VIII (*Suppl.*), 14912 et suiv.; *Bulletin archéologique du Comité*, ann. 1889, pag. 207 et seq.
2. *C. I. L.* VIII, 2232-2238; *Ephem. Epigr.* VII, 739; *Mélanges de l'Ecole française de Rome*, ann. 1893 (t. XIII), pag. 495-497 et 504-507.

In Thignicensibus monumentis Saturni numen tantummodo per symbolica signa, Pœnorum more, expressum est; quæ signa falx et pinea nux erant. Masculæ contra quæ jam, ineunte secundo p. Chr. sæculo, præsidio munita erat[1], deus solito, id est barbati velatique senis, vultu fictus est, cui falx et pini pomum nunquam non addebantur. Quid igitur ea signa semper conjuncta valeant, inquirendum est[2].

Falx autem et sive pini pomum sive pinus ipsa multis monumentis insculpta sunt, quæ Latini agricolæ pristinis numinibus, inter quæ præsertim Vertumno et Silvano, ruris et ruricolarum patronis, dedicaverunt. Sæpissime enim deus dextra falcem, sinistra pinum cum pomis tenet, aut pineis nucibus vel ramis caput coronatum est, aut etiam pinea nux eminet inter fructus in exomidis sinu congestos, qua deus plerumque vestitus est[3]. Præterea constat falcem sive messoriam pro segetis, sive arborariam pro pomorum et arborum culturæ signo habitam esse, unde omnes agrorum et agricolarum patroni falcem tenentes ficti sunt. Quod quidem de Saturno Afrorum quasi comprobatum videbitur, huc collatis Arnobii et Cypriani et Augustini verbis, qui

---

1. R. Cagnat, *L'armée romaine d'Afrique*, pag. 581-582.
2. Vide pag. 53, Tab. v.
3. Clarac, *Musée de sculpture*, tab. 224, n. 93; tab. 447, n. 817 A; tab. 448, n. 818; tab. 449, n. 820, 820 A; — Helbig, *Guide dans les musées d'archéologie classique de Rome* (trad. Toutain), I, pag. 521, n. 698. — Cf. *C. I. L.* VI, 598.

omnes in Africa aut in Numidia vixerunt et adversus gentilium deos acerrime pugnaverunt :

Arnobius, *Adversus Gentes*, VI, § 12 : *Fingitur Saturnus cum obunca falce custos ruris, ut aliquis ramorum luxuriantium tonsor.*

Cyprianus, *Quod idola dii non sunt*, § 2 : *Et rusticitatis hic* (Saturnus) *cultor fuit : inde ferens falcem pingitur.*

Augustinus, *De consensu Evangelistarum* I, § 34; *Nonne ipse* (Saturnus) *Italis ostendit agriculturam, quod falce demonstrat?*

Ut falce demonstratur numen agriculturæ secundum, ita pineis nucibus vel ramis is deus, quo patrono omnia sunt ruri prospera et fecunda. Etenim fere nullum in monumentis fingitur cornu copiæ, unde non emergat pini pomum; pineis ramis coronari solent omnes fere dii vel deæ, quibus juvantibus abundantia ubertasque diffunduntur, imprimis Silvanus et Vertumnus, ut supra dictum est, nec non Ceres-Demeter et Fortuna-Tyche. Nemo præterea nescit quam sæpe in pineam nucem desinat thyrsus, quem gerunt Bacchus-Dionysos omnesque ejus comites cultoresque, gaudio et voluptatibus semper indulgentes.

Quum igitur Thignicenses per pini pomum et falcem Saturni dei numen exprimerent, et Masculitani eadem signa juxta Saturni barbatam velatamque effigiem disponerent, manifestum est Thignicæ et Masculæ Satur-

num pro deo frugifero cultum esse : quod revera ex titulis clarissime patet. Imperante enim Severo Alexandro, ineunte tertio p. Chr. n. sæculo, civitatem suam ita nominabant Thignicenses : *Municipium Septimium Aurelium Antoninianum Alexandrianum Herculeum* FRUGIFERUM *Thignica*[1]. Quod autem cognomen « Frugiferum » haud immerito Thignicæ datum est, in eis Africæ regionibus sitæ, unde quotannis tot modii frumenti Romam usque vehebantur. Non igitur mirandum est Saturnum a Thignicensibus pro deo frugum invocatum esse.

Haud aliter Masculæ res se habuit, prope quam urbem titulus repertus est *Deo Sancto* FRUGIFERO *Augusto* dicatus[2]. Porro compertum est Masculitanos sæpissime *de pecoribus* vota Saturno solvisse[3]. Hic enim magnum erat emporium, quo commutandæ conferebantur lana a pastoribus per Aurasii montis valles vagantibus allata et fruges in eis campis collectæ, qui inter Cirtensis regionis colles et Aurasii montis radices late jacent[4].

Non vero credendum est hunc Saturnum frugiferum ita Saturno domino differre, ut Saturnus Latinus Κρόνῳ Græco, aut Thignicam Masculamque migravisse antiquum latinorum ruricolarum numen, quum per alias Africæ romanæ partes eodem nomine vocatus fuerit

1. *C. I. L.* VIII, 1406.
2. *Ephem. Epig.* VII, 739.
3. *C. I. L.* VIII, 2232, 2234, 2235, 2236.
4. Masqueray, *De Aurasio monte*, pag. 21 et seq.

priscus Pœnorum deus Baal. Jam si quis illam Masculitanam inscriptionem, de qua supra locutus sum, propius leget, pro certo habebit Frugiferum eumdem esse atque Dominum aut Deum Sanctum : titulus enim *Deo Sancto Frugifero* dedicatus est. Porro apud Phœnices Baal ipse culturæ patronus erat; quod doctissimus vir Movers longis rationibus exposuit[1].

Primo Baal quasi supremum et unicum numen habebatur, quod supra mundum in æthereis campis regnat atque unde lucis quidquid est emanat. Postea deus Solis factus est, qui totam naturam regit. Mox etiam, Chaldæis auctoribus, Phœnices finxerunt supremum numen in astro omnium extremo sedere, cujus orbis omnium planetarum orbem amplecti tunc dicebatur, id est in ea planeta cui nomen Saturni datum est atque etiam nunc datur. Quum autem per solis siderumque orbes ævum ubique et semper divisum sit, quumque eadem anni tempora semper iisdem astris lucentibus redeant, Baal tunc visus est tempestatum vicibus præesse; is igitur deus evasit, cujus nutu et arbitrio vernales autumnalesque imbres aut cadant aut desint, et quo favente segetes in campis flavescant pomaque per hortos quotannis maturentur.

Antiquis rerum mythicarum scriptoribus sagaciter perlectis Movers opinatus est numen Baal ita, ut dixi,

---

1. Movers, *Die Phönizier*, t. I, pag. 447 et seq.; passim.

paulatim mutatum esse. Quod si credi potest sacerdotes Tyrios Sidoniosque et Carthaginienses vel Phœnices Pœnosque eruditiores haud omnino astronomiæ rudes esse, contra pro certo habendum est ruris et parvarum urbium incolas nequaquam planetam *Saturnum* novisse neque doctos esse quomodo inter se congruant sideris illius orbis annorumque et tempestatum vices. Multo verisimilius est Thignicæ et Masculæ numen Saturni quasi definitum esse. Jam enim ex plerisque monumentis supra exploratis constat eum Saturnum, quem Numidæ Maurique colebant, omnino dissimilem iis diis esse, quos venerabantur Græci et Romani, neque mythicam, ut ita loquar, personam tenere[1] ; sed nihil aliud esse nisi supremum Phœnicum Pœnorumque deum Baal, incertum universumque numen. Eam vero numinis naturam philosophi sane intelligunt, at non indocti, qui, notionibus abstractis alienissimi, omnia, quæ mente concipiunt, imagine corporea fingere, atque diis, quibus preces adhibent votaque solvunt, suam ipsorum indolem suumque vitæ genus attribuere solent. Ut exemplis utar, nonne apud bellicos et barbaros populos, qui Scandiam olim obtinebant, deus optimus maxi-

---

1. Quod ipse compertum habebis, ex eo titulo nuperrime in illa regione saltuosa et infrequenti reperto, quæ jacet inter Thagastem et Thabracam : *C. I. L.* VIII (*Suppl.*), 17313 : *Marti Aug(usto) sacrum. C. Pompeius Victor mag(ister pagi* sive *castelli) ex præcepto arato loco d(omino) Satur(no) aram s(ua) p(ecunia) f(ecit) et d(e)d(icavit)*. Unde enim liquet deum, cui C. Pompeius Victor aram dicabat, nunc Martem, nunc dominum Saturnum ab ipso Victore invocari. Item Thevestini deo Jovi Optimo Maximo Saturno vota solvebant.

mus is erat, quo juvante ex hostium cæsorum et mutilatorum calvis hydromeli biberetur? Quem deum semper invocant et nautæ et omnes qui per littora maris ætatem agunt, nisi eum cujus imperio mare nunc tumidum, nunc æquum fit? Nostris etiam temporibus, nonne quotannis per agros pompa ducitur ruricolarum, qui Deum frugum fecundas segetes *rogant*, unde eæ feriæ *Rogations* vocatæ sunt? Attamen diversis nominibus diversoque vultu idem semper et unum est illud numen, quod quisque singularem in modum sibi fingit. Haud aliter, mea quidem sententia, apud Thignicenses et Masculitanos res se habuit, neque alius fuit Saturnus atque in summo monte hodie Bou Kourneïn nuncupato aut circa urbem Sitifi : non hic Pœnorum Baal, illic Latinorum Saturnus colebatur. Sed, quum Thignicæ et Masculæ præcipue agrorum culturæ studeretur, utrinque deus invocatus est ruris patronus segetibusque secundus. Quemadmodum pro disci et crescentis lunæ figuris insculptæ sunt votivis lapidibus Solis et Lunæ effigies, ita falx sive arboraria sive messoria et nux pinea, quas gerere solebant Silvanus Vertumnusque, Saturno frugifero attributæ sunt, vel etiam numinis symbolica signa a Numidis facta sunt.

Nunc, observatis quam accuratissime votivorum lapidum et titulis et anaglyptis, concludendum est qui revera esset ille deus a Numidis Maurisque Saturno nomine dictus. Quamvis et nomen dei et titulus ipse

sermone latino scriberentur, non dubium est hunc Saturnum neque Saturno latino neque Κρόνῳ Græco respondere, sed, ut supra monstravi, omnino eumdem esse atque pristinum Pœnorum numen Baal. Quum autem, Africa in provinciam redacta, paulatim per omnes Libyæ regiones lingua latina diffusa est, quæsitum est quo nomine latino antiquum numen vocaretur. Jam in Oriente, postquam Græci Persarum et Phœnicum Ægyptiorumque mores et ingenium propius inspexerunt, eorumque numina cum diis deabusque sive in Olympi montis cacumine sive in interioribus terræ sedentibus contulerunt, ut Ægyptiorum Hammoni Jupiter-Zeus, et deæ Tanit-Astarte Venus-Aphrodite, ita numini apud Phœnices Baal, apud Assyrios Bel nuncupato Saturnus-Cronos æquatus est[1] : unde nomen latinum Saturnus supremo Pœnorum et Liby-Phœnicum deo attributum est.

At revera non omnino idem erat Saturnus-Cronos atque Baal. Apud Græcos Cronos erat Urani, quem mutilaverat, filius, et Jovis, a quo expulsus est, pater; apud Romanos Saturnus priscus quidam Latii rex, qui Latinos omnesque Italicos agrorum culturam docuerat. Κρόνος igitur et Saturnus mythicæ personæ erant, quas humano vultu et humanis moribus sibi fingebant omnes. Dei

1. Cf. supra, pag. 8, not. 1; adde etiam Damascius, *Isidori vita* (in Photii *Bibliotheca*) : Φοίνικες καὶ Σύροι τὸν Κρόνον Ἦλ καὶ Βῆλ... ἐπονομάζουσιν; Hieronymus (Ed. Migne, t. IV, § 544) : *Bel, ... quem Latini Saturnum vocant.*

Baal contra numen erat infinitum universumque : de quo nulla tradita est fabula, cujus nunquam a sculptoribus vel pictoribus effigies humana creata est, et quod tantummodo per symbolica signa in monumentis Phœnices Pœnique exprimere solebant. Itaque Saturno-Κρόνῳ et deo Baal non omnino convenientibus, non satis habuerunt Afri, quum pro symbolicis signis imaginibus humanis votiva monumenta ornaverunt, illam velati et barbati senis effigiem imitari, quæ apud Græcos Κρόνον, apud Romanos Saturnum reddebat. Quo magis et melius totum dei, quem colebant, numen exprimerent, Saturni figuræ addiderunt Solis et Lunæ imagines, quæ, quum disco et lunæ crescenti plane responderent, clarissime demonstrabant minime mutatum esse priscum dei supremi numen. Forma tantummodo nova erat. Compertum est Phœnices Pœnosque ad deos fingendos symbolicis signis usos esse; apud Græcos contra et Romanos a Græcis captis captos, diis deabusque humanum vultum semper indutum. In punicis lapidibus deo Baal aut deo Baal et deæ Tanit una dedicatis nulla delineari vel insculpi solebat effigies humana; nonnisi per symbolica signa, discum et lunam crescentem, stellas, caducæos, palmas, forsitan manum apertam et erectam, numen expressum est. Quemadmodum nomen dei et sermo, ita lapidum ornamenta mutata sunt, sed paulatim. Hic enim discus et luna crescens cum stellis aut caducæis aut palmis supra titulum ficti sunt; illic, pro vultu Solis, intra orbem disci radiati incondite delineati

oculi naresque et os; illic Saturnus barbatus velatusque aut inter Solis et Lunæ imagines positus est, aut leoni insidens, aut etiam sive Geminis fratribus, sive Matri Deum consociatus; illic contra per falcem et pineam nucem deus redditus. Quibus omnibus numinis exprimendi rationibus supra jam descriptis et exploratis, demonstrare tentavi varia illa signa, separata aut conjuncta, unum idemque valere, aliud vero a Pœnis traditum, aliud ab Asia anteriore oriundum, aliud a latinis diis depromptum, omnia profecto, Romanis auctoribus, aut transformata aut illata fuisse. Constat igitur deum Saturnum, cujus cultus per totam Africam late diffusus est, ut numine et origine punicum, ita forma, vultu et nomine græcum et romanum esse.

III

Qui et qua natione fuerint cultores dei Saturni.

Quum votivo cuique lapidi dedicantis nomen inscriptum sit, nunc omnia ea nomina diligenter observanda sunt, ex quibus et ordinem et forsitan nationem eorum novisse liceat, qui in Africa, Romanis imperantibus, Saturno vota solvere solerent.

Primum, si quis totam titulorum seriem perleget, jam mirabitur paucissimos a collegiis seu publicis seu privatis consecratos esse; quorum index brevissimus erit :

Mélanges de l'Ecole française de Rome, ann. 1892 (t. XII), pag. 23, n. 19-25 et 26-28, ubi edita sunt nonnulla fragmenta marmorearum tabularum, in quibus multa nomina per columnas disposita erant :

N. 19. *M. Ca(n)neiu[s], P. Servili[us], Q. Pinar[ius], C. Sal[vius].*

N. 20. ... *Cassius, Sempron[ius], Flavius, [...]onius.*

N. 21. ...*ntius, [Va]lerius... Næv[ius].*

N. 22. *Co]cc[eius... Crep]erei[us... M]uciu[s S]ervili[us...*

N° 26. *Julius, Saloniu[s], Saturn[ius], Sæniu[s].*

N° 27. *[Va]leriu[s* ., *N]oviu[s.*

N° 28. ...*s Fel[ix...]s Prim[us...*

C. I. L. VIII (*Suppl.*), 12331 : *Saturno Achaiæ Aug(usto) sacr(um). Pro sal(ute) imp(eratoris) Cæs(aris) Antonini Aug(usti) Pii p(atris) p(atriæ) Gens Bacchuiana templum sua pec(unia) fecerunt id(emque) dedic(averunt). Candidus Balsamonis fil(ius) ex undecim pr(imis) amplius spatium in quo templum fieret donavit.*

C. I. L. VIII, 10619. *Saturno Aug(usto) sacrum. Civitas II Tuggensis decurionum decreto dedicavit.*

Comptes rendus de l'Académie des inscriptions et belles-lettres, ann. 1891, pag. 439 : *Templi Saturni... pagus et civitas Thuggensis.*

C. I. L. VIII, 998 : *Saturno Aug(usto) sacrum. L. Cæsonius Victor epistilium s(ua) p(ecunia) exornavit idemque dedicavit et cum sacerdotibus in sumptum contulit.*

C. I. L. VIII, 6961 : ... *sam ministris dei Saturn[i...* ...]*s Saturninus Domitius Primianus ... suisque fecerunt.*

C. I. L. VIII, 8711 : ... *Frugifer(o) Cultores suis impe(n)sis fecerunt et dedicaverunt.*

Plane ignoratur qui fuerint illi homines, quorum nomina titulis in summo monte Bou Kourneïn repertis inscripta sunt. Quum autem sacerdotum et ministrorum et cultorum collegia pure privata sint, tria tantummodo monumenta publice dedicata sunt, hoc a Gente Bacchuiana atque uno ex undecim primis, duo a civitate II Tuggensi decurionum decreto. Alteri vero inscribitur nomen « Saturni Achaiæ », id est Κρόνου, qui Saturnus-Κρόνος, ut supra dictum est, non idem esse videtur atque Saturnus ille Dominus vel Frugifer, cujus cultus per Africam romanam late diffusus est. Duo igitur tituli supersunt Saturno Afrorum publice consecrati, ambo Thuggenses. Thuggam urbem, quæ *civitas* erat secundo p. Chr. sæculo[1] atque postea *municipium*[2] et *colonia*[3]

1. *C. I. L.* VIII, 1479.
2. *C. I. L.* VIII, 1484.
3. *C. I. L.* VIII, 1487.

facta est, Romani non condiderunt, neque eo ulla veteranorum colonia deducta esse videtur : quem contra pagum a Liby-Phœnicibus jamdudum habitatum esse demonstrant et nomen ipsum Thugga, quod nequaquam latinum redolet, et sepulchrum illud, cujus lateri inscriptus erat sermone libyco simul et lingua punica titulus, per quem libyci sermonis caligines nonnihil illustrari cœperunt[1]. Quod si, principibus Aurelio et Vero, templum Thuggæ erectum est Jovi Optimo Maximo et Junoni et Minervæ dicatum[2], ibidem ædes magna, multis columnis et tribus cellis ornata, Severo et Clodio Albino imperantibus, Saturno sacrata est[3]. Hic publicus imperii romani cultus et Capitolii patroni; illic pristinæ indigetum relligiones priscumque Numidarum et Pœnorum numen. At nusquam alibi in Africa romana titulus adhuc repertus est, pecunia publica aut a magistratibus publice Saturno dicatus, ut solent monumenta quibus inscribuntur nomina sive divorum imperatorum sive deorum ab Italia et Græcia in Africam translatorum, imprimis Jovis Optimi Maximi et Junonis et Minervæ[4].

Plures sunt lapides a marito cum uxore et liberis,

---

1. J. Halévy, *Etudes berbères*, 1re partie, pag. 16 et seq.
2. *C. I. L.* VIII, 1471.
3. *Comptes rendus de l'Académie des inscriptions et belles-lettres*, ann. 1891, pag. 439; ann. 1893, pag. 351; *Bulletin ... d'Oran*, ann. 1893, pag. 63 et seq.
4. Cf. *C. I. L.* VIII, passim et *Indices*.

aut a patre familias nomine omnium suorum aut a fratribus una consecrati : quos ipse infra collectos explora :

De Thignicensibus titulis :

C. I. L. VIII (*Suppl.*), 15087 : [*Fabius*] *Januar*[*ius*] *et Fabius Maias et F*(*abius*) *Victor.*

C. I. L. VIII (*Suppl.*), 15098 : *Haterii Saturninus et Julianus.*

C. I. L. VIII (*Suppl.*), 15110 : *Ex gente Q. Marci Latronis.*

C. I. L. VIII (*Suppl.*), 15113 : *Memmi*(*i*) *Vitalis et Rufinus.*

C. I. L. VIII (*Suppl.*), 15119 : *T. O*[*vinius Vi*]*ctor et C. Ovinius Solutor et T. Ovinius Hospitalis et frat*(*res*).

C. I. L. VIII (*Suppl.*), 15120 : *L. Pænius Ro*[*gatus? ...*] *A. Pænius Felix vota patris et sua solveru*(*nt*) ... *et Pa*]*piria Pla*[*utilla?*] *liberorum suorum nomine.*

C. I. L. VIII (*Suppl.*), 15126 : *Pomponius Vitalis nomini suo et Pomponiorum Frontonis et Saturnini fratrum suorum.*

C. I. L. VIII (*Suppl.*), 15129 : *Primigenius Mundi et Victor frater.*

De aliis titulis :

C. I. L. VIII (*Suppl.*), 12400 : *P. Petronius Procu-*

linus et Papiria Nuptialica parentes Petroni Zozimi et Petroni Bucculi.

C. I. L. VIII (*Suppl.*), 14377 : *L. Remmius Faustus cum Avito fil*(*io*) *suo.*

C. I. L. VIII (*Suppl.*), 10624 : *Q. Fabius Pullas et Pullænus fil*(*ius*).

C. I. L. VIII, 2670 : *L. Veturius Felix et Lucia Quieta.*

C. I. L. VIII, 2667 : *P. Antonius Donatus una cum Antonio Donato filio suo.*

Comptes rendus des séances de l'Académie d'Hippone, ann. 1889, pag. IX : *T. Salonius Satur*[*ninus*] *et fil*(*ii*) *Volussius et Publius.*

C. I. L. VIII, 4581 : *L. Aufustius Perpetuus votum... cum liberis suis solvit.*

C. I. L. VIII, 8307 : *Fe*]*lix et Gressia Saturnina.*

Id. ibid. 8308 : *Q. Otacilius Felix sacerdos et Celsina con*(*jux*).

C. I. L. VIII, 8665 : *C. J*[*ulius...*]*io sac*(*erdos*), *C. Julius Victor sac*(*erdos*) *et C. Julius Optatus sac*(*erdos*).

Titulus adhuc ineditus (Cf. supra, pag. 19) : *L. Ægrilius Honoratus sac*(*erdos*) *et Aufidia Victoria conjunx. L. Ægrilius Secundus fil*(*ius*) *sac*(*erdos*).

Mélanges de l'Ecole française de Rome, ann. 1890 (t. X), pag. 473, n. 37 : *L. Herennius Victor sac*(*erdos*) *et Silia Victoria conjunx.*

C. I. L. VIII, 8449 : *M. Areius Victor Arei fil(ius) Arn(ensi) ... una cum Ant(onio) Vict(ore) et Æl(io) Valentin(iano) et filis...*

C. I. L. VIII, 8459 : *G]argilius Q. f...ucus sac(erdos) Dom(ini Saturni) [et Vi]ctoria conju[x...*

C. I. L. VIII, 8460 : *Q. Mun(atius) Urbanus sacerd(os) una cum Arrenia Ancil(la) con(juge) sua.*

C. I. L. VIII, 8462 : *C. H(o?) mullius C. f. Ar(nensi tribu) Victor sac(erdos) una cum Maxima con(juge) et fil(io) su(o).*

C. I. L. VIII, 9181 : *L. Gargilius Crescens sacerdos una cum liberis suis.*

C. I. L. VIII, 9022 : *L. Clodius Campanus et L. Clodius Martialis et L. Clodius Campanus sacerdotes.*

C. I. L. VIII, 9023 : *Marcellus... Sossiæ conjugis libe [rorumque fa]miliæque suæ voto...*

C. I. L. VIII, 9135 : *M. Furnius Donatus ... cum suis.*

C. I. L. VIII, 9330 : *Secundio et Apicla.*

Id. *ibid.* 9333 : *M. Cerrinius... et Valeria Secundina.*

Haud raro igitur una Saturno vota solvebant aut monumenta dicabant, non cives cum civibus aut magistratus pro civitate aut pro collegio quodam, uxor vero cum conjuge, pater cum liberis, fratres cum fratribus, pro

gente et familia; minime publicus, sed domesticus dei cultus fuisse videtur.

Qui vero fuerint Saturni cultores, unde oriundi, utrum proceres an humiles, nunc inspiciendum est. Paucissimi sunt tituli aut a magistratibus civitatum aut a militibus veteranisque romanis dedicati, quorum nullus Thignicæ neque in cacumine montis Bou Kourneïn repertus est :

C. I. L. VIII (*Suppl.*), 12126 : [templum aut statuam *do*]*mini Saturni propter commodum populi s*(*ua*) *p*(*ecunia*) *f*(*ecit*) *idemq*(*ue*) *ded*(*icavit*). *Decurio col*(*oniæ*) *Thelepte*, *ædil*(*is*), *q*(*uæstor*), *duumviralis*.

C. I. L. VIII, 4580 : *L. Papius L. f. Pap*(*iria tribu*) *Apolla ædilis, q*(*uæstor*), *duumvir*, *præf*(*ectus*) *j*(*uri*) *d*(*icundo*) *pro duumviris, q*(*uinquennalis*).

C. I. L. VIII (*Suppl.*), 16523 : *P. Vettius Saturninus veter*(*anus*).

Ephem. Epigr. V, 777 : *Julius Vitalis veteranus.*

C. I. L. VIII, 9333 : *M. Cerrinius miles leg*(*ionis*) *III Aug*(*ustæ*).

C. I. L. VIII, 2226 : *L. Octavius Felix dec*(*urio*) *coh*(*ortis*) *Hispanorum ex b*(*eneficiario*) *leg*(*ati.*)

C. I. L. VIII, 2666 : *Ti*(*berius*) *Teltonius Marcellus præfec*(*tus*) *leg*(*ionis*) *III Aug*(*ustæ*) *p*(*iæ*) *v*(*ictricis*).

Quibus titulis adde :

C. I. L. VIII, 871 : *Labienus Pudens Cæcilianus c(larissimus) v(ir).*

C. I. L. VIII, 8826 : *Sex(tus) Victor dec(urio) pr(æfectus) g(entis) N(umidarum ?)*

C. I. L. VIII, 9195 : *M. Furnius Donatus eq(ues) r(omanus) fl(amen) p(er)p(etuus) ex præf(ecto) g(entis) Masat(iorum ?)*

C. I. L. VIII (*Suppl.*), 17313 : *C. Pompeius Victor mag(ister pagi* sive *castelli).*

Paucissimi etiam cives romani Saturno Afrorum vota solverunt :

C. I. L. VIII (*Suppl.*), 15090 : ...*M. f. Arn(en)s(i tribu) Felix.*

C. I. L. VIII (*Suppl.*), 15097 : *L. Granius L. f. Arne(n)sis Pax.*

C. I. L. VIII, 4580 : *L. Papius L. f. Pap(iria tribu) Apolla* (Cf. supra, pag. 69).

Ephem. epigr. V, 920 : *C. Flavius T. f. Q(u)ir(ina tribu) Modestus.*

C. I. L. VIII, 8449 : *M. Areius Victor Arei fil. Arn(ensi tribu).*

C. I. L. VIII, 8452 : *C. Jul(ius) C. fil. Arn(ensi tribu) Nundinarius.*

C. I. L. VIII, 8458 : *L. Antistius C. fil. Quir(ina tribu) Gallus.*

C. I. L. VIII, 8462 : *C. H(o ?)mullius C. fil. Ar-(nensi tribu) Victor.*

Titulus adhuc ineditus (Cf. supra, pag. 13) : *Q. Cæcilius Q. fil. Ar(nensi tribu)...*

Quum jam in Africa adhuc reperti sint circiter octingenti Saturno consecrati lapides, inde apparet quam paucissimi fuerint, inter dei cultores, vel magistratus provinciarum et civitatum aut pagorum vel cives vel milites veteranique romani. Ceteri tituli a privatis dedicati sunt, quorum nominibus tantummodo sæpissime adscribitur verbum « *Sacerdos* » aut « *Sacerdos Saturni* » : de quibus sacerdotibus infra loquar. Nunc ea privatorum nomina perscrutari decet.

Ex iis nominibus pleraque latina sunt, nonnulla tamen de punico aut libyco sermone in latinam formam procul dubio translata. Quod quidem plane manifestum erit, si quis Thignicenses titulos diligenter observabit. Iis enim lapidibus inscripta sunt nomina quæ de punicis aut libycis titulis quasi deprompta esse videntur.

C. I. L. VIII (*Suppl.*), 14917 : *Bariciolus*, de eo verbo punico *Baric* aut *Barica,* quod Pœnorum votivi tituli continent, et idem significare atque latina cognomina *Felix*, *Faustus*, *Fortunatus*, nunc fere compertum est.

C. I. L. VIII (*Suppl.*), 14936 : *Irnemius* *Id.* *ibid.* 14945 : *Ernemius*	de punico verbo *Iranima.* (*C. I. Sem. pars I, tomus I*, n. 265, 267.)

Id. *ibid.* : 14937 : *Baricio*. Cf. supra.

C. I. L. VIII (*Suppl.*), 14949, 14950 : *Iedon*, omnino idem atque punicum *Iatan*, quod idem valet, auctore eruditissimo viro Le Blant, atque latina cognomina *Datus*, *Donatus*[1].

C. I. L. VIII (*Suppl.*), 14961, 15037 : *Mamonicus*, forte pro *Ammonicus*, de verbo punico *Hammon* aut *Ammon*, dei Baal solito cognomine.

C. I. L. VIII (*Suppl.*), 15124 : *Gyddem*, forsitan de forma *Gad* aut *Gud*, unde quoque constructa sunt nomina *Gadæus*, *Gudullus*, etc...

C. I. L. VIII (*Suppl.*)	15136 : *Balienis* 14973 : *Ballienis*	de punico nomine *Baaljahen* (*C. I. S. pars I, tomus I*, n° 261).

Id. *ibid.* 15025 : *Iasdæ*, quæ forma latina verbo punico *Iasdo*, pro *Iasadbaal* (*is quem*

1. *Bulletin archéologique du Comité*, ann. 1889, pag. 252.

confirmat Baal) respondet, auctoribus Ernesto Renan et Philippo Berger[1].

C. I. L. VIII (*Suppl.*), 15248 : *Baliton*, omnino similis Pœnorum nomini *Baaljaton.*

C. I. L. VIII (*Suppl.*), 14913 : *Zabullus*, de eodem vocabulo *Zab* atque cognomen *Zaba*, sæpius titulis inscriptum, qui apud Bullam Regiam a medico Carton nuper effossi sunt[2].

C. I. L. VIII (*Suppl.*), 15048 : *Masbaba*, in quo cognomine ipse recognosces eam particulam *Mas* quæ toties in libycis titulis occurrit sive simplex sive cum aliis verbis conjuncta (*Masiva*, *Masakra, Masoulat*) et quam in nonnullis aliis cognominibus reperies : *Masus, Masac*, *Masul*, *Masuc*, *Masops*.

C. I. L. VIII (*Suppl.*), 14953 : *Tipsaris*, de origine incerta, at profecto non latinum verbum.

C. I. L. VIII (*Suppl.*), 14924 : *Ziommoris,* id.

Id. *ibid.* 14964 : *Fasarianus*, forte de verbo *Fasar,* cujus altera forma *Fasir* esse videtur[3].

C. I. L. VIII (*Suppl.*), 15079 : *Ihar*. Cf. *Tipsaris*, *Ziommoris.*

---

1. *Bulletin archéologique du Comité*, ann. 1889, pag. 252, not. 4. Cf. *C. I. S.* Pars I, t. I, n. 743.
2. *C. I. L.* VIII (*Suppl.*), 14516, 14531, 14536.
3. *Mélanges de l'Ecole française de Rome*, ann. 1890 (t. X), pag. 541, n. 107; *C. I. L.* VIII (*Suppl.*), 11843.

Ad ea de Thignicensibus titulis excerpta cognomina adde etiam quæ sequuntur :

C. I. L. VIII, 5311 : *Baricbal*, de punico verbo *Baric* (cf. supra) et nomine Baal[1].

C. I. L. VIII, 5315 : *Birzil*, certo non latinum cognomen.

Ephem. epigr. V, 870 : *Sumuc(is)*, id.

Id. ibid. 897 : *Nampulus*, de eo genere cognominum, per Africam romanam non rarissimorum, quorum syllaba *Nam* nunquam non pars præcipua esse videtur, ut *Namphamo, Namphamina, Namphadora, Namged, Namgeddinia, Namgidi, Namgoddina*[2].

Iis nominibus non latinis, punicis vero aut libycis, non designati sunt cives romani ab Italia in Africam aut sponte migrantes aut coloni missi neque eorum filii neque nepotes. Etenim Romani moribus legibusque suis magis adhærebant quam ut, nominibus suis aut majorum derelictis, quasi miscerentur iis populis quos armis subjecerant. Quum in plerisque Africæ romanæ civitatibus, in quas nulla colonia militum aut veteranorum deducta sit, paucissimi sint tituli civium romanorum, sed non rarissima cognomina de punico vel libyco sermone desumpta,

1. V. *C. I. S.* Pars I, t. II, n. 860.
2. Vide *C. I. L.* VIII, Cognominum index. Verisimillimum est cognomen *Namphamo* idem valere atque cognomina latina *Secundus* vel *Faustus* (*C. I. L.* VIII, 4681).

contra, ut exemplo utar, in colonia Tupusuctu, quo notum est veteranos legionis VII Augustæ jam ab Augusto missos esse, fere omnibus sepulcralibus lapidibus inscribuntur nomina semper latina civium romanorum[1]. Nepotes et pronepotes et abnepotes eorum, qui ab Italia in Africam coloni venerant, non modo se cives romanos esse nunquam obliti sunt, sed etiam nomina latina servaverunt. Unde fieri videtur eos Africæ romanæ incolas, qui nominibus punicis vel libycis, etiam Romanis imperantibus, vocantur, non aliunde, sed a Libya ipsa originem trahere. Quod si res ita se habet, jam pro certo existimandum est nonnullos ex Saturni dei cultoribus sive Pœnos sive Liby-Phœnices sive Numidas fuisse, priscisque nominibus etiam tunc usos esse.

At noli credere illos, quorum nomina cognominaque pure latina sunt, omnes Romanos fuisse aut Italicos. Supra jam indicavi quanto plus in Africa quam in aliis orbis romani provinciis diffusum fuerit cognomen *Saturninus;* item cognomina *Felix*, *Faustus*, *Fortunatus*, *Datus*, *Donatus* apud Afros vulgatissima fuerunt. Quemadmodum autem verbum latinum *Saturninus* iis punicis cognominibus e nomine dei Baal fictis, saltem in Africa, plerumque respondere fere omnes consentiunt, sic monstravit doctissimus vir Le Blant nihil aliud per cognomen *Datus* aut *Donatus* expressum esse, quam

---

1. *C. I. L.* VIII, 8837 et 8838-8921.

per verbum punicum *Iatan*, ita ut forma latina *Adeodatus* nomen *Iatanbaal* omnino redderet. Porro verisimillimum est cognomina latina *Felix* et *Fortunatus* idem significare atque verbum punicum *Baric* aut *Barica* et cognomina *Secundus* et *Faustus* idem atque verbum *Namphamo*.

Quum igitur latinæ linguæ, Romanis auctoribus, per Africam pristini Pœnorum Numidarumque sermones in dies cesserunt, nonnullis nominibus latinus tantummodo vultus indutus est, ita ut pro *Baric*, *Baric*, gen. *Baricis;* pro *Mas*, *Masus;* pro *Iatan*, *Iedon*, gen. *Iedonis;* pro *Iranima*, *Ernemius* aut *Irnemius* scriberentur[1]. Plura vero in latinum sermonem plane translata esse videntur, haud secus atque numen supremum non jam Baal, sed Saturnus vocatum est. Itaque non habendi sunt advenæ Roma aut ab Italia in Africam transgressi omnes illi et Africæ veteris et Numidiæ et utriusque Mauretaniæ incolæ, quorum titulis votivis et sepulcralibus nomina latina inscripta sunt.

Quod quidem magis etiam probabitur, onomasticis Afrorum moribus accuratissime observatis. Constat enim ex punicis inscriptionibus apud Pœnos unumquemque uno nomine vocatum esse; quum vero nomina propria non plurima essent, cuique notandum fuit quo patre,

---

1. Hic exempla solum de titulis Saturno deo dicatis legimus : at quanto plura congerere poterit, si quis Corpus Inscriptionum in Africa repertarum diligenter evolvet : *Annibal*, *Azzrubal*, *Baliahon*, *Muthumbal*, *Milchaton*, *Mutthun* aut *Melthun*. etc.

interdum etiam quo avo natus esset, ita ut punica nomina hujus formæ esse solerent : *Asdrubal*, filius *Hannonis* filii *Asdrubalis*[1]. Libyco sermone adhuc parum illustrato, non asseveranter affirmandum est more omnino eodem Numidas et Mauros usos esse atque Pœnos; in quam sententiam ipse tamen ibis, si nonnullos latina simul et libyca lingua titulos scrutaberis :

Naktout vel *Saktout*, *Imiris filius* (Halévy, *Etudes berbères*, 1re partie, n° 34).
Kinidigil, *Mizigtis filius* (Halévy, *ibid.*, n° 83).
Faustus, *Aspennatis filius* (J. Toutain, *Revue de Constantine*, ann. 1891, pag. 276 et seq.).

Nullum igitur Pœnis erat gentilicium nomen, nullum Liby-Phœnicibus neque Numidis; nullum etiam prænomen. Illud enim nomen unicum, quo quisque designabatur, in multis latinis per Africam repertis inscriptionibus cognominis locum obtinet : *M. Julius Ithumbal*, *C. Julius Cududus, L. Cæcilius Birzil, L. Cornelius Nampulus, M. Porcius Easuctan, Q. Postumius Iutchad*, etc.[2]. Quum autem uniuscujusque proprium sit, neque a patre filiis nepotibusque transmittatur, ideo non idem valet quam Romanorum cognomen. Per cognomen in Africa singuli a singulis discernebantur.

---

1. Cf. *C. I. S.* pars I, t. I, 180 et seq.
2. *C. I. L.* VIII, 1325, 2098, 6402, 7311, 2638, 5073.

Contra Romani cujusque nomen e tribus partibus, prænomine, gentilicio et cognomine, constare solebat; at gentilicio totam gentem et sæpius cognomine totam familiam designante, unusquisque ab omnibus parentibus et consanguineis et cognatis et affinibus tantummodo per prænomen suum distingui poterat : ut exemplis utar, Tiberii Sempronii Gracchi et Caii Sempronii Gracchi, Marci Tullii Ciceronis et Quinti Tullii Ciceronis nomina nonnisi per prænomen inter se dissimilia erant. Prænomen igitur apud Romanos nomen uniuscujusque vere proprium erat, ita ut filius patris aut avi, libertinus patroni non gentilicium neque cognomen, sed prænomen semper indicaret.

Quum autem inter eos, qui Saturno in Africa vota solverunt, nonnulli, quorum nomina vultum, ut ita loquar, latinum præbent, vel prænomine et gentilicio, vel prænomine solo careant; quum præterea plures etiam patrem non prænomine, sed cognomine indicent, asserendum videtur neque hos neque illos Roma aut ab Italia in Africam migravisse, indigenas vero e libyca terra quasi germinatos esse : ita *Crescens Sullæ filius*, ita *Primigenius Mundi filius;* ita *Secundio* et *Apicla;* ita etiam *Æmilius Argutus, Cæcilius Fortunatus*, *Furius Felix, Pomponius Faustinus*, et ceteri; ita *Sextilius Scæva*, *Lucani filius; Sextilius Felix*, *Soricis filius; P. Sittius*, *Catuari filius, Senex; M. Areius Victor*, *Arei filius*. Cujusmodi exempla haud rara sunt.

Plerique tamen cultores Saturni et prænomen et gen-

tilicium et cognomen habent : *L. Decimius Silvanus, L. Fabius Januarius, L. Sempronius Privatus, C. Annius Sextianus, L. Cæcilius Barbarus, C. Popilius Vitalis, L. Apronius Martialis, P. Pomponius Januarius, M. Rubrius Felix, C. Julius Martialis*, etc. De quibus utrum sint Romani annon minus constare videtur. Atqui ex lege Julia municipali magistratibus, qui per municipia et oppida civium romanorum censum agebant, præcipiebatur Romani cujusque civis nomen, prænomen, patrem aut patronum, tribum, cognomen accipere. Unde fit ut civium romanorum nomina, ante Severum Antoninum, quo imperante omnes ingenui, intra fines orbis romani, civitate donati aut potius onerati sunt, ita scriberentur :

Q. Pompeius Q. f. Quir. Senecio
aut *P. Cornelius Q. f. Quir. Maximus.*

Quum autem primo et secundo p. Chr. sæculo Roma et ab Italia oriundus quisque civis esset optimo jure, inde sequitur ut quicumque in provinciis non civis esset, certo non Romanus neque Italicus esset, sæpissime autem indigena. Itaque affirmandum est eos omnes, ex Saturni dei cultoribus, quorum titulis tria nomina, etiam latina, at non pater neque tribus inscribantur, non in Africam ab Italia migravisse, neque colonorum ab imperatoribus antea missorum nepotes esse, verum ab Africa ipsa oriundos. Qui reipsa multo plurimi sunt.

Ut nunc paucis absolvamus, fere nullus titulus in Africa Saturno publice dicatus est, fere nullus pro collegio quodam vel decurionum decreto consecratus : non in foro, non in curia magistratus, sed domi privati deum invocare solebant. Præterea monstratum est quam pauci milites veteranique aut cives romani Saturno vota solvissent. Nominibus denique, quæ titulis inscripta sunt, diligenter observatis, probare tentavi cultores dei Saturni non advenas ab aliis imperii romani provinciis et præcipue ab Italia in Africam venisse, indigetes contra pristinis onomasticis moribus nonnunquam usos esse.

Utrum vero punica an libyca stirpe nati sint discernere magni sit momenti. Quum vero libycarum gentium sermo et res gestæ et mores temporibus nostris fere omnino lateant, et parum compertum sit quos ad fines usque et quomodo Carthaginienses imperium suum extenderint; quum porro traditum sit in Libya fuisse quondam non solum Pœnos et Libyes, sed etiam Liby-Phœnices, id est et Phœnicibus colonis et Libycis incolis permixtam gentem, audaciæ nimium indulgeat si quis uter ex Afris punica, uter libyca natione fuerit distinguere conetur. Vix affirmari potest Pœnos prope Carthaginem et urbes in littore sitas, Libyes contra in interioribus Africæ potius sedisse. Vestigiis autem cultus Saturni, sive templorum ruderibus, sive titulis votivis, sive sacerdotum elogiis per omnes provinciarum partes repertis, constat numen illud ab omnibus gen-

tibus una invocatum esse, quæ Libyam nondum a Romanis subjectam obtinebant. Secundo igitur et tertio p. Chr. sæculo, quemadmodum Saturnus omnino idem erat atque supremus deus Baal, ita omnes illi, quorum nomina titulis votivis inscribuntur, non romani coloni neque romanorum colonorum posteri erant, verum indigetes punica simul et libyca stirpe nati.

IV

De templis in Africa Saturno dicatis.

Cognito qui fuerint et deus ipse Saturnus et dei cultores, jam quærendum est quibus in locis cultores deum invocare et vota solvere solerent. Ex eis sane per Africam plurimis locis paucos explorare nunc licet, alios a viatoribus descriptos, alios nuperrime effossos, alios contra per inscriptiones tantummodo designatos. De singulis hic brevi referam.

In summo monte Bou Kourneïn non solum tituli et titulorum fragmenta collecta sunt, sed etiam reperta vestigia ampli altaris, partim ex opere saxeo, partim ex ipsa cacuminis rupe structi, quod area latericia cinctum esse verisimillimum est. Hic vero non ædes erat; sub

Jove sacrificabatur, et lapides votivi circum altare per aream dispositi erant[1].

Haud aliter res se habuisse videtur in eis faucibus, sub radice montis Bou Kourneïn sitis et hodie Khangat el Hadjadj nuncupatis, ubi nonnulla Saturno Sobarensi sacrata monumenta nuper effossa sunt. Ibi nullum ædificium, nullum ædificii vestigium exaratum est; at plane in eo loco, ubi lapides votivi reperti sunt, quasi area notata est, quæ nobis nihi aliud esse videtur quam altaris superficies[2].

In eadem regione olim supererant rudera duorum templorum, quorum hoc per Ximenes, hispanum quemdam monachum, illud per Giovanni Pagni, toscanum medicum, nobis notum est, qui ambo ædium vestigia inscriptionumque fragmenta septimo decimo et octavo

---

1. *Mélanges de l'Ecole française de Rome*, ann. 1892 (t. XII), pag. 8 : « Suivant toute apparence, il n'y avait pas sur le Bou Kourneïn de temple proprement dit. Les recherches et les fouilles n'ont amené la découverte d'aucun fragment d'architecture; ni colonnes, ni chapiteaux, ni débris d'architecture n'ont été trouvés à la surface du sol ou enfouis dans la terre; l'on n'a même pas rencontré une pierre de taille. » Pag. 13 : « Tels sont les vestiges de construction que les fouilles m'ont permis de reconnaître au sommet de la pointe occidentale du Dj. Bou Kourneïn. Aucun temple n'y avait été élevé; aucun monument de quelque importance n'y existait; il n'a pas été retrouvé le moindre débris de statue. Ce sanctuaire était tout simplement un espace consacré, un *temenos*, entouré d'un mur d'enceinte, et au milieu duquel se trouvait l'autel des sacrifices. »

2. *Mélanges de l'Ecole française de Rome*, *ibid*, pag. 15, not. 2 : « D'après les renseignements que j'ai recueillis au Khangat même, de la bouche de ceux qui ont découvert les stèles, il n'y avait aucune trace de vaste construction, mais seulement les restes d'une plate-forme, autour de laquelle les stèles étaient disséminées. Le sanctuaire de Saturnus Sobarensis se composait donc probablement d'un simple *temenos*, au centre duquel se dressait l'autel des sacrifices. »

decimo post Chr. n. sæculo descripserunt. Perhibet Ximenes se vidisse in loco Bordj ben Chaban dicto, inter Rhadès et Hammam el Enf, magnifici cujusdam monumenti ruinas, Saturno deo dicati, inter quas hunc titulum repperit :

SATVRNO AVG SACRVM. L CAESONIVS VICTOR EPISTILIVM S P EXORNAVIT
IDEMQVE DEDICAVIT ET CVM SACERDOTIBVS IN SVMPTVM CONTVLIT//////

Saturno Aug(usto) sacrum. L. Cæsonius Victor epistilium s(ua) p(ecunia) exornavit idemque dedicavit et cum sacerdotibus in sumptum contulit[1]...

Quum epistilium columnæ sustineant, ædes ea epistilio ornata sumptuosior habenda est : nihil autem aliud de eo monumento dici potest.

Illius templi, de quo G. Pagni in longa ad amicum Fabrizio Cecini missa epistola locutus est, in ea urbe, nunc la Mohammedia dicta, et cujus antiquum nomen adhuc latet, erecti, nullum exstat vestigium ; unde necesse videtur descriptionem transcribere, quam italico sermone fecit Pagni (1667) :

« Si vede ancora in questa villa la forma d'un antico tempio quadrato perfettamente con la sua cupola. La muraglia quadrata e tutta di pietre lavorate in forma di mattoni di grossezza di tre dita, et di lunghezza d'un

---

1. *C. I. L.* VIII, 998.

palmo e quasi mezzo. La cupola ha nella sommita una apertura rotunda. Ha dentro quattro grandi nicchiate divise in uguali spazzi e similmente quattro grandi finestre. Mi dicono che fuori era incrostato di pietre, le quali son poi servite per la fabbrica della casa di Sta Amurat, che fu Daulerthal, cioe Re di Tunis. Oggi serve per stalla di cameli. Di fuori e largo per ciascuna parte ventiquattro passi. Dentro e rotundo e per circuito gira sessanta sei passi, et per diametro e largo diciotto. Ha quattro porte, tre volte a Ponente, la maggior delle quali e alta diciotto palmi e larga dodici. Le due mínori sono alte sette palmi et larghe cinque. La quarta guarda verso Tramontana, alta dieci palmi et larga sette. Ma oggi son tutte serrate, avendo per l'ingresso rotta la muraglia da un' altra parte. Che questo fusse un tempio di Gentili e la statua[1] e la forma l'insegnano; oltre i frammenti di colonne di marmo misto verde e bianco, che a mio giudizio e una specie d'ofite, i quali ancora oggi si vedono sparsi all' intorno..., al che aggiungasi che per dentro vi si son trovate tre piccole inscrizioni, le quali son le seguenti[2]... Dal che si puo conjetturare che quel tempio fussi dedicato a Saturno, poiche oltre le inscrizioni sopra la seconda vi e scolpita

1. Magni sit momenti novisse cujusmodi fuerit ea statua; Pagni vero tacet.

2. Qui tituli, in musæum *Officiorum* dictum Florentiam transvecti, ibique adhuc servati, in *C. I. L.* VIII, 871-873, editi sunt.

la testa di Saturno[1]... Aggiungasi che poco distante da detto tempio ritrovarono una larghissima pietra, la quale non essendo piu grossa d'un dito, nel cavarla andò in minutissimi pezzi, molti dei quali ho visto scritti da ambe le parti, da una con caratteri sesquipedali e belli, dall' altre con rozzi : uno di questi era scritto IMP CAES, un' altro TEMPL...... EV, in un altro SAT. Dal che si comprende che in questa pietra si conteneva la dedicazione di detto tempio a Saturno. »

De qua descriptione nunc excerpendum est eam ædem, a solo exstructam, columnis marmoreis et statua ornatam esse; forma autem ædificii, extrinsecus quadrata, introrsus vero rotunda, serius explorabitur.

Thuggæ nuperrime splendidæ Saturno dedicatæ ædis rudera a medico Carton exarata et descripta sunt[2]. Ejus templi, urbi et toti pago imminentis, pars antica suggestus erat, pone quem stabat porticus, quatuor altis columnis ornatus; per porticum ibatur in aream amplam et sub Jove jacentem, quam, uno latere excepto, undique cingebat peristilium; denique, in intima parte ædis, altero portico præcedente, tres cellæ dispositæ erant, quarum media, major et sumptuosior, ingentem statuam continebat, ex albo marmore sculptam,

---

1. *C. I. L.* VIII, 871. Ita describitur effigies dei : *persona barbata, sculptura satis rudi.*

2. *Comptes rendus de l'Académie des inscriptions et belles-lettres*, ann. 1891, pag. 437 et seq.; ann. 1893, pag. 357. *Bulletin... d'Oran*, ann. 1893, pag. 63 et seq. Cf. infra, pag. 94-95.

et cujus tantummodo manus nonnullaque minutissima fragmenta adhuc supersunt. In epistilio, quod sustinebant columnæ circa aream surgentes, inscriptus erat grandioribus litteris titulus, de quo pleraque reperta sunt[1]. Non dubium est hanc ædem Saturno deo dicatam fuisse.

Haud procul Thugga, in ruderibus Thignicæ civitatis, ante septem annos exarati sunt plurimi votivi lapides, Saturno Augusto sacrati : de quibus abunde et optime disseruerunt Ph. Berger et R. Cagnat. Quum nullum ædis vestigium, nullum etiam altaris vel areæ fragmentum in lucem prodierit, attamen scripserunt : « Ici le temple de Saturne reste à trouver... ; la mention de prêtres de Saturne et de sacrifices, qui revient à de nombreuses reprises sur les inscriptions, prouve que le temple ne devait pas être loin[2]. » Mihi contra, ut jam exposui, constat hic, haud secus atque in summo monte Bou Kourneïn, non ædem a solo exstructam esse, sed locum sub Jove Saturno sacratum, muro forsitan ex maceria circumdatum, ejusmodi quem Græci τέμενος vocare solebant[3].

In loco nunc dicto Hr ben Glaïa, ultra civitatem Suam (nunc Chaouach) septentrionem versus, repertus est hic titulus :

---

1. *Comptes rendus...*, loc. citat., pag. 439. *Bulletin... d'Oran*, ann. 1893, pag. 70.
2. *Bulletin archéologique du Comité*, ann. 1889, pag. 255.
3. *Mélanges de l'Ecole française de Rome*, ann. 1892 (t. XII), pag. 15.

SATVRNO AVG SACRVM
L REMMIVS FAVSTVS CVM AVITO
FIL SVO TEMPLVM ET STATVAM EIVS A FVN
DAMENT SVA PEC FECIT ITEMQ DEDIC DD.

Saturno Aug(usto) sacrum. L. Remmius Faustus cum Avito fil(io) suo templum et statuam ejus a fundament(is) sua pec(unia) fecit itemq(ue) dedic(avit)[1].

Ille autem, tredecim circiter millibus passuum Bulla Regia septentrionem versus, in ea regione provinciæ Africæ quam nunc obtinet gens dicta Chiahia, in loco Souk el Tleta nuncupato :

ATVRNO AVG SACR
PTIMI SEVERI PII PERTINACIS AVG
////////// ET IVLIAE DOM
FIL LVCANVS SACERDOS SATVRNI TEMPLVM
ECIT ET DEDICAVIT.

[S]aturno Aug(usto) sacr(um). [Pro salute Imp. Cæs. L. Se]ptimi Severi Pii Pertinacis Aug(usti) . . . . . et Juliæ Dom(næ) . . . . fil(ius) Lucanus sacerdos Saturni templum [sua pecunia(?) f]ecit et dedicavit[2].

1. *C. I. L.* VIII (*Suppl.*), 14377.
2. *C. I. L.* VIII (*Suppl.*), 14465.

Nuperrime, in loco dicto Sidi Mohammed el Azrak, medicus Carton vidit lapidem, cui inscriptus erat hic titulus :

SATVRNO AVG SACR
AEDEM A SOLO EXSTR
VCTAM ET MACERIA CIN
CTAM P OCTAVIVS FORTVNA
TVS SACERDOS DE SVO FECIT
ITEMQVE DEDICAVIT

Saturno Aug(usto) sacr(um). Ædem a solo exstructam et maceria cinctam P. Octavius Fortunatus sacerdos de suo fecit itemque dedicavit[1].

Duobus circiter millibus passuum Lambæsi, septen-

---

1. *Comptes rendus de l'Académie des inscriptions et belles-lettres*, ann. 1890, p. 467. — Haud longe a Thagaste (hodie Souk-Ahras) nuperrime repertus est titulus infra scriptus (*C. I. L.* VIII, *Suppl.*, 17313).

MARTI AVG
SACRVM
C. POMPEIVS
VICTOR MAG
EX PRAECEPTO
ARATO LOCo
D. SATVR. ARAM
S. P. F. ET DD

Marti Aug(usto) sacrum. C. Pompeius Victor mag(ister) ex præcepto arato loco d(omino) Satur(no) aram s(ua) p(ecunia) f(ecit) et d(e)d(icavit).

trionem versus, doctissimus vir Héron de Villefosse descripsit hunc titulum :

PRO SALVTE ANTONINI IMP ET IVLIE DOME PO· SA· EOR
SATVRNO DOMINO ET OPI
REGINAE SAC TEMPLVM ET
ARAM ET PORTICVM FECERVNT
L· VETVRIVS FELIX ET LVCIA QVIETA
FELICITER

Pro salute Antonini Imp(eratoris) et Juli(a)e Dom(na)e p(r)o sa(lute) eor(um)? Saturno Domino et Opi Reginæ sac(rum). Templum et aram et porticum fecerunt L. Veturius Felix et Lucia Quieta feliciter[2].

Tandem, in Mauretania Cæsariensi, duo lapides reperti sunt, quibus inscribitur dedicatio templi Saturno deo. Quorum hic Serteianus :

DEO SANC FRVG AVG SAC
SEX VICTOR DEC PR G. N
MONITVS SACRA RELIGIONE
TEMPLVM SIMVL CVM
AREA ET ARAS SVMMA
CVM DILIGENTIA
RESTITVIT S P D D

Deo Sanc(to) Frug(ifero) Aug(usto) sac(rum). Sex(tus)

1. *C. I. L.* VIII, 2670.

Victor dec(urio) pr(æfectus) G(entis) N(umidarum)? monitus sacra religione templum simul cum area et aras summa cum diligentia restituit s(ua) p(ecunia) d(ecreto) d(ecurionum)[1].

Ille contra Auziensis :

SATVRNO
TEMPLVM. OPERE-SIGNN
MARCELLVS AMCt CoL•NAE
SOSSIAE ©NIVGIS LIBERO
MLAEQVE SVAE VOTO DESTN

Saturno [*Augusto sacrum*]. *Templum opere signin*[*o fecit...*] *Marcellus...?... coloniæ* [*Auziæ?...*] *Sossiæ conjugis libero*[*rumque suorum... fa*]*miliæque suæ voto destin*[*atum...*][2].

Porro, etiam in locis ubi nullum templi vel altaris vel areæ vestigium effossum aut ubi nullus dedicationis titulus repertus est, attamen si quis formam et molem lapidum votivorum diligenter inspiciet, inde novisse poterit utrum in area sub Jove an intra muros ædis dis-

---

1. *C. I. L.* VIII, 8226.
2. *C. I. L.* VIII, 9023.

positi sint. Ut exemplis utar, Sitifensia monumenta atque ea, de quibus supra locutus sum, non procul Theveste, in loco Gonnifida dicto, reperta, majora et graviora videntur quam quæ in ædificio inclusa fuerint.

E documentis huc collatis constat nequaquam omnes ejusdemmodi fuisse locos in Africa romana Saturno deo sacratos. Hic ara aut in summo monte structa erat, aut in campo jacebat, muro nonnunquam circumducto; illic surgebat ædes forma diversa, vel columnis et portico exornata, vel contra humilior, e *maceria* aut ex *opere signino*.

Pro certo habendum est in cacumine montis Bou Kourneïn et in faucibus nunc Khangat el Hadjadj dictis et Thignicæ nullum exstitisse ædificium, nullam dei statuam erectam esse. Quum autem Græci et Romani diis deabusque templa a solo exstructa et plerumque magnifica dicare solerent, quorum in cellis stantes aut sedentes statuæ ponebantur e marmore sculptæ; quum contra apud Phœnices perraro in honore deorum ædificaretur neque numina unquam per humanas effigies redderentur, propterea affirmandum videtur in Africa, etiam imperantibus Romanis, Pœnorum mores, saltem quod Saturni cultum attinet, superfuisse. At rem propius et singulatim inspiciamus.

Compertum est in Syria et Phœnicia nonnullorum montium, ut Libani et Hermonis, vertices supremo deo Baal sacratos esse, unde numen Baal-Liban, Baal-Her-

mon vocabatur[1]. Præterea Tacitus (*Hist.* II, 78) hæc de Carmelo monte scribit : « *Est Judæam inter Syriamque Carmelus : ita vocant montem deumque; nec simulacrum deo aut templum — sic tradidere majores — ara tantum et reverentia.* » Nonne, ut jam alibi monstravi[2], omnino idem de monte Bou Kourneïn dici potest? Ut enim Baal in summo Carmelo adoratus Baal-Carmel, in summo Libano Baal-Liban, in summo Hermone Baal-Hermon nominabatur, ita Saturnus in cacumine montis Bou Kourneïn Saturnus Balcaranensis. Cujus Phœnicum moris vestigia in eis Græciæ regionibus olim observata sunt, quas obtinuerunt gentes ab anterioris Asiæ littoribus in Hellada transvectæ[3]. Minime igitur mirandum est Saturno, quem omnino eumdem in Africa fuisse atque deum Baal probavi, in vertice montis Carthagini, punicæ urbi, imminentis a Pœnorum posteris sacrificatum esse.

Ea templi forma, quam optime reddit franco-gallicum verbum « haut-lieu », antiquissima apud Phœnices fuisse videtur. Mox autem non jam in summis montibus, sed in campo area muro cincta deo sacrata est, atque in medio structa est sive ara, in qua immolaren-

---

1. Movers, *Die Phönizier* I, pag. 175 et 668. — *Corp. Inscr. Semit.* Pars I, t. 1, pag. 26.
2. *Mélanges de l'Ecole française de Rome*, ann. 1892 (t. XII), pag. 103-104.
3. Hesychius, *Lexicon*, ad v. ἐπάκριος; — Pausanias, VIII, 38, 7; — Strabon, VIII, 8, 2; — Plinius, *Hist. natur.* IV, 6, 10. — Cf. *Mélanges...*, loc. cit., pag. 14.

tur victimæ, sive ædicula quædam, ubi includeretur signum numinis, nunc conicum saxum, nunc columna[1] : nullum vero templum columnis cellaque ornatum ædificatum est, nulla dei vel deæ statua in cella posita. Omnino ita res se habuisse videtur et Thignicæ et in faucibus Khangat el Hadjadj dictis, ubi lapides deo dicati aut per aream sparsi aut juxta aram fixi erant. Quum Thignicæ votiva monumenta per ordines disposita essent et lapidis cujusque ima pars ita conformata esset[2], ut facile in terram defigeretur, inde constat nullum ibi neque templum, intra muros cujus vota Saturno solverentur, neque porticum erectum esse : omnia aere aperto fiebant. Haud aliter a Neferitanis vicinisque gentibus deus Sobarensis cultus est. Phœnicum igitur et Pœnorum pristini mores secundo et tertio p. Chr. sæculo in Africa nequaquam interierant.

Paulatim tamen multa a Græcis et Romanis mutuata usque in interiora provinciæ diffusa sunt. In loco nunc Sidi Mohammed el Azrak dicto, P. Octavius Fortunatus deo Saturno sacravit *ædem a solo exstructam et maceria cinctam*[3]. Ex titulo non apparet quæ fuerit illius ædis forma : ædes vero, non tantummodo ara. Quum autem maceria cincta sit, inde sequitur hanc ædem area circumdatam esse. Hic, ut olim, locus deo sacratus plane

---

1. Perrot et Chipiez, *Histoire de l'art*, t. III, pag. 242 et seq.
2. *Bulletin archéologique du Comité*, ann. 1889, pag. 208 et pag. 255.
3. Cf. supra, pag. 88.

τέμενος erat; sed in medio surgebat ædificium, quod *a solo exstructum* esse P. Octavius Fortunatus addendum existimavit.

In loco H^r ben Glaïa nuncupato[1], L. Remmius Faustus simul cum templo dedicavit *statuam*, id est numinis effigiem humanam : cujus autem moris nullum vestigium apud Pœnos invenire est.

Quod si ex titulis, qui supra transcripti sunt, etiam accuratissime commentatis nihil certissimi de templorum Saturno dicatorum forma concludi potest, contra multo plura docemur per descriptiones templorum, quorum alterum nuperrime a medico Carton Thuggæ effossum est, alterum olim a G. Pagni in loco la Mohammedia dicto inspectum.

De Thuggensi templo ita scripsit Carton : « Avant les fouilles, un suggestus placé en avant du portique, les grosses colonnes par lesquelles le portique était supporté, et quelques parties d'un entablement présentant une grande inscription étaient seuls visibles...Cette plateforme rectangulaire ou *suggestus* s'élevait à 4 mètres au-dessus du sol fortement incliné de la colline sur les flancs de laquelle le monument était construit... Derrière la plate-forme s'élevait le portique, précédant une large cour de 25 mètres de longueur sur 11 mètres de largeur. Une rangée de colonnes la limitait sur trois de ses faces; en avant elle était fermée par un mur. De

---

1. Cf. supra, pag. 86-87.

l'autre côté des colonnes, c'est-à-dire à l'extérieur de cette cour, régnait une espèce de cloître voûté. Dans le fond du monument on trouvait un second portique, et après l'avoir franchi on pénétrait dans des cellæ couvertes par de puissantes voûtes en blocage... Avant de passer à la description des cellæ du temple, il n'est peut-être pas sans intérêt de faire remarquer que cet espace rectangulaire entouré de colonnes paraît ne pas avoir eu de toit. Ce fait que la partie la plus étendue du monument était à ciel ouvert est à rapprocher de ce que l'on sait de la plupart des sanctuaires à Saturne trouvés en Afrique, à Aïn Tounga (Thignica) et à Sidi Mohammed el Azrak, où l'on n'a trouvé aucun monument fermé... Les trois cellæ étaient recouvertes de puissantes voûtes en berceau... La chambre du milieu avait un sol en ciment de tuileaux comme les voisines, mais était plus élevée qu'elles. Son ornementation paraît avoir été aussi beaucoup plus riche... Dans la demi-clarté de cette chambre devait se dresser une statue double ou triple de la grandeur naturelle, en un beau marbre blanc saccharoïde, dont il n'existe plus que la main. Les doigts semblaient tenir les plis d'un vêtement... Les cellæ latérales n'ont rien présenté d'intéressant[1]. »

---

1. De illo templo nuperrime latius disseruit medicus Carton, antiquæ civitatis Thuggæ ruderibus denuo exploratis et exaratis, in *Bulletin... d'Oran*, ann. 1893, pag. 63 et seq.

Nonnullis illius descriptionis partibus insistere decet. Si quis enim Thuggensis templi formam diligenter inspiciet, continuo animadvertet aream columnis cinctam neque tectam inter porticum vel πρόναον et cellas interpositum esse. Area autem sublata, ædes ea, quum ex portico et cellis constaret, nihil aliud sit nisi græcum quoddam aut romanum templum; portico contra et cellis absentibus, quid aliud sit Thuggense monumentum quam area, non quidem maceria, sed columnis et muro circumdata, id est τέμενος Thignicensi simillimum et vere punicum? Unde constat in magnifico illo ædificio, quod L. Septimio Severo et D. Clodio Albino imperantibus exstructum est, una locorum a Pœnis numinibus suis sacratorum et templorum a Græcis Romanisque dedicatorum formas quasi conjunctas et collatas esse[1].

Cur præterea in ea Saturno soli dicata æde triplex cella erecta est? Nonne hic memorandum est quam sæpe in summis lapidibus votivis Saturno sacratis sculptæ sint tres figuræ, quarum media Saturnus ipse, duobus aliis Sol et Luna exprimantur? In media autem cella Thuggensis templi reperta est marmorea manus, ingentis statuæ vestigium, cujus digitis etiamnunc adhærent vestis fragmenta. At supra[2] monstratum est Saturnum

---

1. Celeroquin medicus Carton censet plane eodem loco, ubi surgebat ædes ea, pristinum quoddam sacrarium punico more dispositum et cultum fuisse; cujus vestigia sub recentiori ædificio occulta non penitus deleta sunt. (*Comptes rendus de l'Académie des inscriptions et belles-lettres*, ann. 1893, pag. 357.)

2. Pag. 50. Cf. *Recueil de la Société de Constantine*, XIX, pag. 445

deum in duobus Thevestinis lapidibus ita effictum esse, ut, capite velato, sinistra manu velum, dextra harpen teneret, eamque imaginem Saturni figuræ, quæ in altare sub Albanis montibus reperto expressa sit, plane respondere. Nuperrime etiam, in cella dextera, aliud statuæ fragmentum inventum est. Quidquid de eo fragmento existimandum sit, compertum tamen videtur in utraque laterali cella erectam esse statuam. Quemadmodum autem in multis votivis lapidibus Saturni numen per triada Saturnum-Κρόνον et Solem-Ἥλιον et Lunam-Σελήνην expressum est, sic Thuggæ triplicem cellam structam esse, mediam Saturno-Κρόνῳ dicatam, dexteram et sinistram Soli-Ἡλίῳ et Lunæ-Σελήνῃ verisimillimum est. Quam triada, ut jam exposui, Phœnicia oriundam minime dubium est; non vero per effigies humanas deorum numina reddere solebant Phœnices Pœnique; ut igitur in forma templi, ita in cellis et numinis imagine Carthaginiensium Romanorumque mores permixti sunt.

Quæ per singula fuerit templi, quod vidit Pagni in loco hodie la Mohammedia nuncupato, forma, non clarissime patet. Illa tamen ædes, extrinsecus absolute quadrata, introrsus vero rotunda, et tholo in summa parte aperto aucta et quattuor cellis interioribus ornata, non omnino eorum templorum absimilis esse videtur,

---

et seq; XX, pag. 215 et seq; Tab. 24-32, ubi descripta sunt nonnullarum statuarum fragmenta, inter quas duæ saltem Saturnum reddunt (n. 4 et 28).

quæ Romæ aut vetustissima erant, aut veterum casarum formam reddebant, inter quæ, ut exemplis utar, ædes Vestæ et rotundum ab Agrippa Marti et Veneri dicatum templum notissima sunt. Quum præterea de quadam statua paucissimis referat Pagni, non dubitandum est quin hæc Saturno sacrata ædes multo magis ex Romanorum quam Pœnorum moribus exstructa ornataque fuerit. Sed hæc etiam de descriptione excerpenda sunt : « *Ha quattro porte, tre volte a Ponente, la maggior delle quali e alta diciotto palmi, e larga dodici; le due minori sono alte sette palmi, et larghe cinque.* » Nonne tres illæ portæ, quæ ad Occidentem spectabant, quarum media altior et latior duabus aliis erat, eodem modo dispositæ erant atque tres Thuggensis ædificii cellæ? Nonne igitur idem concludendum est? Hic tamen, quum temporibus nostris nihil de templo a G. Pagni descripto supersit neque hujus ædis rudera investigare liceat, cautissimis verbis, ad conjiciendum potius quam ad asserendum, uti decet.

Exploratis Saturni templis, idem igitur concludemus atque anaglyptis et inscriptionibus votivorum lapidum observatis. Hujus dei cultum nonnisi secundo et tertio p. Chr. sæculo, id est imperio romano vigente ac florente, novimus; omnes tituli sermone latino et litteris latinis scripti sunt; ubique tamen et undique vestigia cultus et morum supersunt, qui, minime romani, punici vero, multo prius celebrabantur quam Africa et Numidia et Mauretaniæ in provincias redactæ sunt. Quemadmo-

dum in votivis lapidibus Saturni dei numen, certo punicum, per figuras nunc punicas, nunc romanas, nunc etiam et punicas simul et romanas reddebatur; quemadmodum plerique dei cultores, non coloni romani neque ab aliis imperii provinciis oriundi, indigetes vero, sæpius tamen latinis nominibus designabantur; ita ex locis Saturno sacratis, alii omnino similes erant eorum in quibus Phœnices deum supremum Baal colebant; alii contra Græcorum et Romanorum templorum instar dispositi esse videntur; alii denique ex utraque forma constabant. Superficies interdum romana, substantia vero nunquam.

Quod si quis præterea inquirere volet ubi Africæ romanæ reperta sint diversa templorum Saturni genera, comperiet hæc intra aut prope muros urbis, sive coloniæ sive municipii, ædificata, illa vero ruri, ut ita loquar, sita esse; hæc autem plerumque ædificia, id est monumenta a solo exstructa et portico peristilioque ornata esse; in illis vero, sub Jove jacentibus, aram tantummodo, area muroque cinctam, surgere. Unde rursus demonstratum esse videtur Saturni dei cultum, ex Africa quasi nativum, fere immutatum in interioribus provinciarum romanarum mansisse, tantummodo autem in urbibus novam formam induisse, quo facilius et altius quam in agros adventicii mores penetrare solent.

V

Quibus ritibus in Africa Saturnus deus cultus sit.

Quomodo vota Saturno solverentur, quæ dona offerri, quæ victimæ immolari solerent, etiam per votivos lapides docemur. Plerumque enim, ut supra titulum numinis vel effigies humana vel symbolicum quoddam signum insculpitur, ita infra exprimuntur sive fruges sive pecudes deo dicatæ, sive quoque sacrificium ipsum; neque mirandum est, quum votivus quisque lapis nihil aliud esset quam voti soluti monumentum. At porro de iisdem ritibus indicia nuperrime collecta sunt et in summo monte Bou Kourneïn et Thuggæ in templo Saturni. De quibus omnibus ex ordine loqui nunc expedit.

Primo pro certo habendum est deo Saturno primitias frugum sacrari. Inter quas sæpissime effinguntur in votivis lapidibus hinc mala punica, uvæ, palmæ, pineæ nuces, illinc liba diversa, in speciem alia rhombi, alia coronæ nonnunquam cornigeræ[1], omnia vero vel tri-

1. Eam insolitam liborum formam Ph. Berger et R. Cagnat opinati sunt, auctore R. de La Blanchère, etiam nunc Romæ superesse, ubi conficiuntur placentæ coronis cornigeris omnino similes, quibus nomen est « *ciambella* ». Mihi autem memorandum videtur deo Græcorum Κρόνῳ, quinto decimo die mensis *Elaphebolion* dicti, liba donari ab Atticis agricolis, quorum figura rotunda erat et cornigera (*Corpus Inscr. Græc.*, n. 523, v. 23).

ticea vel hordearia. Quum præterea et juxta aram vertici montis Bou Kourneïn impositam et in ruderibus Thuggensis templi plurima reperta sint fictilia vasa et vasorum fragmenta, pateræ, unguentaria et ampullæ, minime dubium est Saturno deo oblata esse oleum unguentaque[1].

Quæ omnia, poma libaque et oleum et unguenta, donaria non cruenta, non paucis lapidibus insculpta sunt. Sed ea anaglypta non eadem omnia sunt, ex quibus duo præcipue genera discernenda mihi videntur.

Hæc, quorum nonnulla ab eruditissimo viro De la Mare descripta et delineata sunt[2], pleraque circa Thibilim, Aquas Thibilitanas et Calamam reperta sunt, in ea frequentissima Numidiæ parte, ubi nunc tot et tanta exstant rudera urbium. Informia sunt imperitumque lapicidam demonstrant. Aliis votivus titulus inscribitur ; aliis contra deest. In summo lapide sæpius cernitur luna crescens; infra homo, de quo vix dici potest utrum vir an femina sit, manibus sive ambobus porrectis, sive altera porrecta, altera vero pectori apposita, diversa poma, inter quæ præsertim effinguntur uva, pinea nux, palma, et liba aut rhombo aut coronæ cornigeræ similia, tenet. Quum autem poma et liba plura sint quam

---


1. *Mélanges de l'Ecole française de Rome*, ann. 1892 (t. XII), pag. 115; *Comptes rendus de l'Académie des inscriptions et belles-lettres*, ann. 1893, pag. 357.
2. De la Mare, *Exploration archéologique de l'Algérie*, Tab. 167, 170, 178, 179, 180, 190.

quæ duobus manibus capiantur, hæc homo tenet, illis lapis quasi spargitur. At non putandum sit per eam humanam figuram dei numen expressum esse, eaque poma et liba idem in nostris anaglyptis valere atque, ut exemplis utar, aquila prope Jovem aut noctua juxta Mivervam aut etiam lotus quo solent ornari Isidis imagines; neque pro symbolicis ubertatis signis habendæ sunt uva et pinea nux et palma. Quum enim vitibus pinisque et palmis abundaret Africa, nequaquam mirum est a ruricolis deo Saturno ea poma potissimum donari.

Iis igitur lapidibus nihil aliud, mea quidem sententia, insculpitur nisi hominis deum adorantis eique primitias frugum dicantis effigies, id est neque symbolica quædam imago, ut apud Pœnos solet, neque sacrificii ex Romanorum ritibus simulacrum. Nonne hic consequimur antiquissimos indigenarum mores nondum, advenis auctoribus, mutatos? Libyes tunc non docti erant nihil vivi in lapidibus sacratis delineare, neque diis unguenta libare et cædere victimas solebant, sed omnium frugum primitias deferre. Quem ruricolarum communem morem his verbis increpat Clemens, qui primo p. Chr. sæculo Romæ fuit episcopus et excruciatus : *Collectis enim messibus et vindemiis, continuo ad muta et surda simulacra primitias frugum deferunt, et pro his quæ Deus concessit in templis aut lucis vota persolvunt, et ibi sacrificia dæmoniis offerunt.* » (*Recognitio*, V, § 30.)

Nunc autem eorum lapidum genus alterum inspicia-


mus, Thignicæ præsertim et in nonnullis Cirtensis Numidiæ locis repertum[1]. Quæ monumenta multis figuris ornata sunt, quarum plerisque poma et liba redduntur; unam vero, omnino peculiarem, perscrutari libet, cujus formæ diversæ, inter se tamen propinquæ sunt, ut ipse ex his descriptionibus judicabis :



Lapides ambo Siguenses
(*Ephem. Epigr.* V, 857, 858.)



Milevitanus lapis.
(*Ephem. Epigr.* V, 918.)



Thuggensis lapis.
(Ex descriptione medici Carton.)



Thignicenses lapides.
(Ipse delineavi ex lapidibus.)

1. In locis hodie nuncupatis Mila, Sigus, Sila.

Quid valere figuram Thignicensibus lapidibus insculptam existimarent indicare non prætermiserunt Ph. Berger et R. Cagnat, qui censuerunt hic neque aram neque anclabrem fictam esse, eam vero imaginem quæ nonnunquam nomine *Tanit* vocata, a plerisque pro supremæ Phœnicum Pœnorumque deæ quasi symbolico signo habetur. Cui sententiæ partim assentiendum, partim repugnandum arbitror. Ipse quoque Thignicensem figuram minime absimilem esse illius imaginis ratus sum, qua sæpius ornati sunt lapides a Pœnis deo Baal et deæ Tanit dedicati; per eam vero figuram Saturni numen expressum esse non opinor.

Si quis enim omnes deo Saturno sacratos lapides diligentissime intuebitur, semper supra titulum numinis aut effigiem humanam aut symbolica signa disposita esse, nunquam vero infra, compertum habebit. Thignicæ autem ea figura, de qua nunc agitur, nunquam non imo lapidi insculpitur vel delineatur. Cur porro Saturni numen, quod per discum aut per discum et lunam crescentem punico more reddi solet, iterum in eodem monumento per aliam imaginem expressum sit?

At imaginibus, quas supra delineavimus, ex ordine inspectis, jam manifestum erit figuram Thignicensibus lapidibus insculptam nihil aliud esse nisi humanam formam paulatim mutatam et ad geometricas lineas quasi redactam, ita ut ex effigie hominis manus ad sidera tendentis et frugum primitias deo offerentis sym-

bolicum ejusdem ritus signum factum sit. Lapicidæ vero eam figuram, quum indocti rudesque nescirent quid valeret, arbitrio suo imitati sunt; ita orbis, quem pro capite delineabant, primo, ut in Thuggensi lapide, a corpore disjunctus, dein omnino sublatus est.

Quæ figura ceteroquin eo facilius sic transmutari potuit, quo magis magisque, Pœnis auctoribus, Libyes indigetes symbolicis signis uti consueverant : unde non mirandum est eam imaginem præsertim in regionibus diffusam esse, in quas Pœni Pœnorumque mores pervasisse videntur. Ut enim Thuggam Thignicamque et vicina cum Carthagine et Utica et Hadrumeto, ita Cirtensem Numidiam cum coloniis Rusicade et Igilgili et Chullu creberrimum commercium habuisse verisimillimum est.

Omnes illi lapides, quorum in aliis effigies humana, in aliis symbolicum signum inter diversa donaria effingitur, nequaquam, ut ita loquar, latine redolent : quibus nulla insculpitur vel Κρόνου græci vel Saturni italici imago; titulus tantummodo latino sermone scriptus est. Multi vero alii, præcipue circa Carthaginem et Thevestem et Lambæsim et Sitifim reperti, anaglyptis in ima parte decorati sunt, quæ Romæ etiam aut in Italia composita esse opinari possis. Ibi enim sacrificium ex ritu romano confectum variis modis depictum est; perraro tamen et libamina fundi et victimas immolari simul videre est. Plerumque aut vir aut femina, aut etiam una vir et femina unguentis aram spargunt; infra vero

vel juxta cernitur victima Saturno deo sacrata, bos aut agnus, nonnunquam ambo. Interdum fabula quasi explicata est: in medio est ara, sive quadrata sive rotunda, supra quam, ut solet, flamma surgit; utrinque stant vir et femina; hic togatus sinistra acerram tenet; dextra vero thus in focum fundit; illa stolata præfericulum aut donaria, poma libaque, aut etiam victimam, hœdum agnumve, gerit. In Thevestino quodam lapide puellæ tres aræ adstant, pineas nuces in canistris capitibus impositis ferentes. In aliis quoque monumentis victima aut immolatur aut jam immolata est : hic enim seu malleum popa quassat, seu cultrarius adest; illic victima procumbit, cruore per nares jam saliente; illic victimæ caput, aut etiam totum corpus aræ impositum est.

Thignicæ contra, in iis lapidibus ubi Saturni numen tantummodo per falcem et pineam nucem reddi solet, nihil effictum est nisi victima, plerumque bos aut taurus. Hic sane nondum, secundo et tertio p. Chr. sæculo, solebant humanas effigies votivis monumentis insculpere, neque romanis ritibus Pœnorum et Liby-Phœnicum mores omnino cesserant : sacrificii tamen quasi signum apparet.

Ex anaglyptis igitur compertum habemus Saturno deo in Africa et primitias frugum deferri et victimas immolari, quas taurum aut bovem et agnum fuisse nemini dubium est, quanquam lapides votivi plerumque sunt informes. Quod quidem etiam ex duobus titulis constat, in loco hodie Aziz ben Tellis dicto, inter Cirtam

et Sitifim, repertis, quorum hic primos versus transcribere libet[1] :

D. B. S. C. APONIVS SECVNDVS SA CERDOS AGNV. DO MINO. TAVRV. DOMI NO	DBS. C. C. PRIMVS SAC. SATVRNI AG NV. TAVRO DOM INO
D(iis) b(onis) s(acrum)? C. Aponius Secundus sacerdos agnu(m) domino, tauru(m) domino...	*D(iis) b(onis) s(acrum)? C. C(æcilius)? Primus sac(erdos) Saturni agnu(m), tauro(m) domino...*

De qua re nonnulli quoque Thignicenses et Masculitani tituli conferendi videntur :

De Thignicensibus[2] :

////// //VG. SACR. M. CAECILIVS. FEST NASILILIM EX VITV LO. V. S. L. A	SEMPRONI VS. ROGATVS DE VITLO V. S. L. M
[Saturno A]ug(usto) sacr(um). M. Cæcilius Fest(us) nasililim ex vitulo v(otum) s(olvit) l(ibens) a(nimo).	*Sempronius Rogatus de vit(u)lo v(otum) s(olvit) l(ibens) m(erito).*

1. *C. I. L.* VIII, 8246, 8247.
2. *C. I. L.* VIII (*Suppl.*), 15075, 15133, 15149.

/ / / / / / / / / /
/ / / / / / / / / /
SVS. V. S. L. A. EX
VITVLVM (sic)

..... *sus v(otum) s(olvit) l(ibens) a(nimo) ex vitulum.*

De Masculitanis[1] :

SATVRNO AVG
SACRVM. ADI
ECTVS VILICVS DE
PECORIBVS V. S. L. A.

Saturno Aug(usto) sacrum. Adjectus vil(l)icus de pecoribus v(otum) s(olvit) l(ibens) a(nimo).

Cf. *C. I. L.* VIII, 2234, 2235, 2236.

Ut ex anaglyptis, ita ex titulis patet non solum Saturno donaria non cruenta offerri, sed etiam in honore ejus taurum aut agnum, nonnunquam sane ambo mactari. Mirum vero sit omnes dei cultores opibus ita floruisse, ut de pecoribus et armentis vota solvere possent. Haud igitur putandum est ab Afris, quotiescumque Saturno preces adhiberent aut vota solverent, hostiam cædi; sæpissime contra poma, liba, oleum, unguenta nec non et fictiles lucernas ad aram vel in templo dei sacrabant.

---

1. *C. I. L.* VIII, 2232.

Cujus autem moris neque indicia neque vestigia desunt. Jam monstravi poma libaque votivis lapidibus insculpta nihil aliud esse quam ipsa donaria. Porro quid prodesse potuerunt tot et tanta fictilia vasa fragmentaque, pateræ præsertim et unguentaria, quæ juxta aram in summo monte Bou Kourneïn erectam et in ruderibus Thuggensis templi nuper collecta sunt, nisi oleo unguentisque aut continendis aut in honore dei libandis? Quæ omnia, neque picta neque ullis ornamentis distincta, dona certo plebeia erant. Item lucernæ, quum omnes figlinæ sint et pleræque communi forma, viliores erant neque a divitibus dicabantur.

Unde, mea quidem sententia, asserendum est nonnisi ob sacerdotium aut pro salute imperatoris aut ob ejusdemmodi causas aut etiam a collegio quodam victimas immolatas esse, sed plerumque Saturno oblata fuisse, ut communi decet omnium deo, humiliora donaria.

At nunc peculiaria quædam aggredi libet, hæc per titulos, illa, dum et in vertice montis Bou Kourneïn et Thuggæ effodiebatur, cognita.

Nonnullis Thignicensibus lapidibus[1] inscriptum est verbum *Nasililim*, quod nusquam alibi usurpatum adhuc occurrit; ex his titulis tres conferemus[2] :

---

1. *C. I. L.* VIII (*Suppl.*), 14950, 14987, 15050, 15072, 15075, 15095, 15098, 15115.
2. 14950, 15095, 15115.

FAVSTVS
IEDONIS SA
CERDOS NA
SILILIM VO
TVM SOLVIT
LIBES ANIMO

Faustus Iedonis (filius) sacerdos nasililim votum solvit libe(n)s animo.

S A S
GARGILIA SECVNDA
VOTVM NASILI
LIM SOLVIT
L A

S(aturno) A(ugusto) s(acrum). Gargilia Secunda votum nasililim solvit l(ibens) a(nimo).

S A S
MVNDIVS VICT
OR NASILILIM
V S L A

S(aturno) A(ugusto) s(acrum). Mundius Victor nasililim v(otum) s(olvit) l(ibens) a(nimo).

De quo *Nasililim* optime disseruerunt Ph. Berger et R. Cagnat[1], qui jure opinati sunt eo verbo, de punica lingua in latinum sermonem translato, non pristinum neque Thignicæ proprium honorem exprimi, singularem vero quemdam ritum, de prisca Pœnorum et Liby-Phœnicum relligione profecto traditum. Quæ sit illius vocis origo non constat; quum enim verbi finem « *ilim* » latinis « *deus* » aut « *divinus* » vocabulis respondere doctissimi consentiant, dubitatur quid de « *nasil* » aut « *nasi* » censendum sit[2].

---

1. *Bulletin archéologique du Comité*, ann. 1889, pag. 253-254.
2. Vide *C. I. L.* VIII (*Suppl*), 14987, ubi quidem de verbo hæc scripta

In quodam Saturno Balcaranensi sacrato lapide[1] legitur : « *M. Sempronius Quintus capite ordina(to) votum so(lvit).* » Quemadmodum per vocem « *Nasililim* » antiqui Pœnorum ritus quidquam memorari videtur, ita sane M. Sempronius Quintus demonstrare voluit se, ut Romæ præscriptum erat, capite velato aut sacra fecisse aut sacris adfuisse.

De paucis peculiaribus donariis tandem loquendum est. Inter votivos Saturno Sobarensi dicatos titulos, qui prope Neferim civitatem nuper reperti sunt, hic notandus est :

P PETRONIVS PROCVLINVS ET PAPIRIA NVP
TIALICA PARENTES PETRONI ZOZIMI ET
PETRONI BVCCVLI QVI VESTIGIVM ET BIR
BECEM FECERVNT ET TITVLOS AETER
NOS PER FILIOS HABERE DESIDERA
VERVNT DE COL VTHINENSI

P. Petronius Proculinus et Papiria Nuptialica, parentes Petroni Zozimi et Petroni Bucculi, qui vestigium et birbecem fecerunt et titulos æternos per filios habere desideraverunt. De col(onia) Uthinensi[2].

---

sunt : « *Nasililim* videtur esse *oblatio diis facta* (nasa el ilim). » Hic tamen opinandum, non affirmandum esse censeo.

1. *Mélanges de l'Ecole française de Rome*, ann. 1892 (t. XII), pag. 22-23, n. 17.

2. *C. I. L.* VIII (*Suppl.*), 12400.

« *Birbecem* » pro « *vervecem* » ibi scriptum esse nequaquam dubium est. « *Vestigium* » autem nihil aliud est quam pedum figura, sive lapidi insculpta, sive figlina, ejusmodi quem pro morbo depulso aut pro vulnere sanato imprimis Æsculapio et Hygiæ, Romæ et per alias orbis romani partes, sacrare solebant. Item in templo Thuggensi, nuperrime duplex « *vestigium* » marmoreum a medico Carton repertum est[1]. Quem morem in Africa haud ignotum esse demonstrant alii votivi lapides, quorum hic sub monte hodie nuncupato Dj. Oust, inter Uthinam et Giufi civitates, effossus est[2], ille autem Mactari[3].

Aves denique et avicellæ Saturno sacratæ fuisse videntur. Ipse enim in summo monte Bou Kourneïn[4] et medicus Carton in ruderibus Thuggensis templi fictilia vascula operta collegimus, in quibus inerant columbarum ossicula. De quo ritu, indiciis adhuc absentibus, amplius nunc non dicendum est. Referam tamen quæ dixerit Apuleius, Madaura, in Numidia, oriundus et Carthagine probatissimus rhetor, quum inimicos ipsum de arte magica ad proconsulem appellantes redargueret : « Testimonium ex libello legi audisti gumiæ cujusdam... Junii Crassi, me in ejus domo nocturna sacra cum Appio Quintiano amico meo factitasse... Idque se

1. R. Cagnat hoc mihi dedit, ipso Carton auctore.
2. *Mélanges de l'Ecole française de Rome*, ann. 1893 (t. XIII), pag. 426-427.
3. *C. I. L.* VIII (*Suppl.*), 11795, 11797.
4. *Mélanges...*, ann. 1892 (t. XII), pag. 115-116.

ait Crassus... tædaceo fumo et *avium plumis* compe-risse... in vestibulo *multas avium pinnas* offendisse... quæsisse causas ex servo suo... eumque sibi de meis et Quintiani nocturnis sacris indicasse. »

Præterea memorandum est quam sæpe columbarum imaginibus ornati sint votivi lapides deo Baal et deæ Tanit sive a Carthaginiensibus sive a Mactaritanis dedicati : unde concludere forte licet columbas, ut apud Græcos et Latinos Veneri-Ἀφροδίτῃ, ita apud Pœnos deæ Tanit sacratas esse[1].

Saturno igitur in Africa, Romanis imperantibus, et primitiæ frugum a ruricolis plerumque dicatæ sunt, et nonnunquam victimæ, Romanorum more, immolatæ. Præterea conjiciendum est nonnihil de pristinis ritibus superesse, quorum indicia paucissima e titulis votivis aut ex sacrariis ædibusque effossis vix percipi possunt. Unde, si quis animadvertet qualem vultum hic cultus, reipsa antiquissimus, in anaglyptis induerit, non mirabitur nunc rudem informemque effigiem humanam inter diversa donaria stare ; nunc symbolicum, quasi de punicis monumentis depromptum, signum lapidi insculpi vel delineari ; nunc contra virum togatum feminamve stolatam vel ambo aræ adstare et libare, aut etiam victimas, taurum agnumque, effingi. Deo Domino, quem omnes rustici urbanique colebant, pro

1. Cf. etiam *C. I. S.* Pars I, t. I, n. 165, pag. 226, vers. 11, ubi de avibus deo Baal sacrificatis agitur; *id.*, *ibid.*, n. 167, pag. 255, vers. 7.

suis facultatibus quisque vota solvere, et voti soluti diversam pro moribus et locis imaginem sacrare solebat.

Quæ omnia ex votivis lapidibus nota sunt; illis vero nulla figura, nullum etiam signum insculptum est, unde affirmari possit Saturno Afrorum homines vel infantes mactatos esse. De quo tamen more loquendum mihi videtur, quem nonnunquam gentiles memorant et christiani increpant. Plerique autem scriptores hunc crudelissimum ritum iis temporibus referunt, quibus Carthago punica civitas erat necdum imperio romano subdita. Etenim « Pescennius Festus in libris historiarum per saturam refert Carthaginienses Saturno humanas hostias solitos immolare, et cum victi essent ab Agathocle, rege Siculorum, iratum sibi deum putavisse ; itaque, ut diligentius piaculum solverent, ducentos nobilium filios immolasse[1]. »

Item Augustinus Hipponiensis, *De civitate Dei*, VII, § 19 : « Deinde ideo dicit (Varro) a quibusdam pueros ei (Saturno italico) solitos immolari, sicut a Pœnis, et a quibusdam etiam majores, sicut a Gallis, quia omnium seminum optimum est genus humanum. De hac crudelissima vanitate quid opus est plura dicere ? » Nequaquam dubium est eos Pœnos, de quibus Varro hæc scripsit, punicæ, non romanæ, Carthaginis incolas fuisse.

---

1. *Historic. Roman. fragmenta*, ed. Peter, pag. 375.

Haud aliter Eusebius, Cæsareæ episcopus, *Præpar. Evangil.* IV, § 16 : « Φοίνικες δὲ ἐν ταῖς μεγάλαις συμφοραῖς ἢ πολέμων, ἢ λοιμῶν, ἢ αὐχμῶν, ἔθυον τῶν φιλτάτων τινὰ ἐπιψηφίζοντες Κρόνῳ ..... Καὶ μὴν καὶ οἱ ἐν Λιβύῃ Καρχηδόνιοι ἐποίουν τὴν θυσίαν, ἣν Ἰφικράτης ἔπαυσε ..... Ἐν Καρχηδόνι τῷ Κρόνῳ κοινῇ πάντες ἀνθρωποθύουσιν ..... Λέγουσι δὲ καὶ τὰς θυσίας ἐπιτελεῖν τῷ Κρόνῳ καὶ τοὺς παλαιοὺς, ὥσπερ ἐν Καρχηδόνι, τέως ἡ πόλις διέμεινε..... » Illa autem Eusebius ex Diodoro Siculo et Dionysio Halicarnassensi se excerpsisse professus est, qui Augusto principe historias scripserunt. Præterea ex his verbis « τέως ἡ πόλις διέμεινε » manifestum est de antiqua Phœnicum colonia, non vero de Carthagine a Cæsare Augustoque condita, hic agi.

Revera Tertullianus, in *Apologetico*, IX, asserit : « Infantes penes Africam Saturno immolabantur palam usque ad proconsulatum Tiberii, qui eosdem sacerdotes in eisdem arboribus templi sui obumbraticibus scelerum votivis crucibus exposuit, teste militia patriæ nostræ, quæ ad ipsum munus illi proconsuli functa est. Sed et nunc in occulto perseveratur hoc sacrum facinus ..... Cum propriis filiis Saturnus non pepercit, extraneis utique non parcendo perseverabat, quos quidem ipsi parentes sui offerebant et libentes respondebant et infantibus blandiebantur, ne lacrimantes immolarentur. » Et alibi, *Scorpiace* 7 : « Sed enim Scytharum Dianam, aut Gallorum Mercurium, aut Afrorum Saturnum hominum victima placari apud sæculum libuit. »

Quum Tertullianus, Carthagine natus, exeunte

secundo et ineunte tertio p. Chr. sæculo vixerit, non minoris momenti habenda sunt quæ de Saturno Afrorum scripsit. Attamen animadvertamus doctissimos, quum nescirent utrum « *ad proconsulatum Tiberii* » an « *ad proconsulem Tiberii* » legendum esset[1], omnes contra censere hic de Tiberio imperatore agi et de iis temporibus, quibus Romanorum mores ritusque nondum in Africa diffusi essent. Postea vero « in occulto perseveratum est hoc sacrum facinus » ; unde patere nobis videtur hunc cruentum morem, forte a nonnullis temporis acti laudatoribus secreto servatum, palam tamen, Romanis imperantibus et jubentibus, omnino interiisse. Præterea Tertullianus non historias, Apologeticum vero scripsit; non ad narrandum, sed ad pugnandum de gentilium ritibus opera composuit; quare, Cypriano et Arnobio et Augustino de humanis hostiis tacentibus, non omnino neque temere Tertulliano credendum est. Porro compertum est nullum hujus moris indicium neque vestigium ex votivis lapidibus desumptum esse.

Ut paucis absolvam, negari non potest Carthagine, priusquam a Romanis diruta est, supremo Phœnicum numini Baal vel Baal-Moloch dicto infantes immolari ; sed verisimillimum est humanas eas hostias, ut a Phœnicibus, ita a Pœnis tantummodo publice, civitati gravissimo quodam periculo imminente, mactatos esse.

1. Cf. Tertulliani *Opera*, ed. Oehler, t. I, pag. 143, not. 6.

Quum vero, Carthagine eversa et Africa in provinciam redacta, non jam punica, sed romana respublica his terris præesset; quum præsertim, primo p. Chr. sæculo, per totum orbem romanum diffusus esset Romæ et Augusti atque Jovis et Junonis et Minervæ cultus, non jam publice Saturno sacra facta sunt; ut supra monstrare tentavi, Saturni dei relligio in Africa romana nequaquam publica neque municipalis, domestica vero et privata erat. Humanarum igitur hostiarum causa deficiente, mos ille periit. Itaque ad Carthaginem Pœnorum urbem referendum videtur quidquid de humanis hostiis historiarum scriptores tradiderunt ; quod contra Africam romanam attinet, nonnisi lapidibus et anaglyptis credendum.

VI

De sacerdotibus Saturni in Africa romana.

Ut ceteris diis deabusque, ita Saturno Afrorum per sacratos quosdam initiatosque viros, id est per *sacerdotes*, vota solvebantur et sacra fiebant. Quorum multi seu votivi seu sepulcrales tituli reperti sunt. Etenim non pauci lapides a sacerdotibus Saturni dicati sunt, qui deo suo ob sacerdotii honorem gratias agebant. Quum plerumque titulus ita scriptus sit : *C. Annænus*

Felix sacerdos votum solvit libens animo (de Thignicensibus lapidibus, *C. I. L.* VIII (*Suppl.*), 14914), interdum contra certioribus verbis exprimitur quam ob rem votum solutum sit :

C. I. L. VIII (*Suppl.*), 14973.

IVLIVS POSTVMI
Q. BALIENIS F
OB SACERDOTIVM
L A V S

Julius Postumi Q. Balienis f(ilius) ob sacerdotium l(ibens) a(nimo) v(otum) s(olvit).

Mélanges de l'Ecole française de Rome, ann. 1892 (t. XII), n. 12, p. 21.

////RN// AVG SAC
C MVRIVS SATVR
NINVS VOTO SACER
DOTIVM LIBES AN
IMO SOLVIT
B B

[Satu]rn[o] Aug(usto) sac(rum). C. Murius Saturninus voto sacerdotium libe(n)s animo solvit. B(onis) b(ene).

Cf. *id.*, *ibid.*, n. 316, 317, 318, p. 74-75.

C. I. L. VIII, 2668 :

SATVRNO
AVG CALVE
NTIVS OB
SACERDOT
IVM VSLA
CVM SVIS

Saturno Aug(usto). Calventius ob sacerdotium v(otum) s(olvit) l(ibens) a(nimo) cum suis.

Quibus adde : *C. I. L.* VIII (*Suppl.*), 15248.

Elogia porro sacerdotum Saturni minime rara sunt. Ille igitur honos, de quo tam multis lapidibus mentio facta est, et tot homines in Africa romana gloriati sunt, maximi æstimatus esse videtur. Quem adhuc fere in occulto esse ægerrime ferendum est.

Non enim liquet quomodo Saturni sacerdotes in unaquaque civitate deligerentur, utrum ab omnibus civibus designari an ab aliis sacerdotibus cooptari solerent ; latet etiam per quem et qualem ritum sancirentur : quos sancitos esse tamen pro certo habendum est, ex eo Thibilitano titulo nuperrime edito :

SANTO SATVR
M. VIRSANIVS
MARTIALIS SACER
DOS SANCITVS
DE PECORIBVS

San(c)to Satur(no). M. Virsanius Martialis sacerdos

sancitus de pecoribus (*votum solvit libens animo*)[1].

Honorem sacerdotii annuum fuisse non immerito conjiciendum est, quum in colonia Diana Veteranorum « L. Papius L. f. Pap. Apolla ob honorem sacerdotii sui *anno expleto* statuam posuerit itemque dedicaverit. »

At compertum est simul in eadem urbe aut in eodem templo plures fuisse Saturni sacerdotes; quot quidem essent, ex titulis non manifestum est. Nam, sub radicibus montis Bou Kourneïn, in loco Bordj ben Chaban nuncupato, L. Cæsonius Victor epistilium s(ua) p(ecunia) exornavit idemque dedicavit et *cum sacerdotibus* in sumptum contulit[2]; Thevesti, *Q. Fabius Pullas et Pullænus fil*(*ius*) *sacerdotes* Jovi Optimo Maximo Saturno Augusto vota solverunt[3]; Masculæ, Saturno Augusto *T. Salonius Saturninus et fil*(*ii*) *Volussius et Publius sacerdotes* de pecoribus vota solverunt[4]; Cirtæ erant *ministri dei Saturni*, inter quos *Saturninus*, *Domitius*, *Primianus*[5]; in civitate Mons dicta *tres Julii*, *Baricio*, *Victor et Optatus* una sacerdotio functi sunt[6]; ibidem *duo Ægrilii*, *Honoratus pater et Secundus filius*[7]; Au-

---

1. R. Cagnat, *L'année épigraphique*, 1890, n. 126.
2. *C. I. L.* VIII, 998.
3. *C. I. L.* VIII, 10624.
4. *Comptes rendus des séances de l'Académie d'Hippone*, ann. 1889, pag. IX.
5. *C. I. L.* VIII, 6961.
6. *C. I. L.* VIII, 8665.
7. V. supra, pag. 19.

ziæ quoque *tres Clodii, Campanus et Martialis et Campanus*[1]. Unde concludendum est hic duo, illic tres, illic forte plures eodem tempore sacerdotes Saturni fuisse; non vero percipitur quæ fuerit lex, non etiam utrum lex certa necne omnibus Africæ romanæ provinciis quasi communis fuerit.

Nemo præterea non animadvertet patrem cum filio aut filiis et fratrem cum fratribus una sacerdotes fuisse. Nonne putandum sit genti potius quam singulis viris honorem sacerdotii attributum esse? Quum autem Thignicæ ex omnibus gentibus sacerdotes lecti sint, non verisimile est illo honore quasi privilegio paucas domos donatas esse; ad quem contra spectare nemini negatum esse videtur.

Latet quoque utrum sacerdotes Saturni in unaquaque civitate sodales fuerint annon; nullum vestigium, nullum indicium ex titulis supra transcriptis exprimere est. Quum Thignicæ tot lapides ab uno sacerdote sacrati sint, nullus vero a sacerdotibus una conferentibus, inde sequitur in ea urbe sacerdotem quemque arbitrio suo agere et vivere, neque in sodalitatem collegiumve convenire Saturni sacerdotes. Inter fragmenta juxta aram Saturni Balcaranensis reperta, nonnulla sunt ejusdem lapidis vestigia, quibus inscribuntur nomina ex ordine disposita : num vero ea nomina sacerdotum sint, plane latet.

---

1. *C. I. L.* VIII, 9022.

De quo igitur sacerdotio fatendum nobis videtur, quod jam Ph. Berger et R. Cagnat professi sunt, parum liquere[1]. Qui vero fuerint sacerdotes, quem locum in civitate obtinerent, unde orti sint, discernere magis in expedito est.

Ex plurimis Saturni sacerdotibus, quorum nomina per titulos nota sunt, duo tantummodo functi sunt, alter municipalibus honoribus, alter flamonio quodam. Dianæ enim, in Numidia, votivus ille lapis repertus est :

C. I. L. VIII, 4580 :

SAT AVG
L. PAPIVS L. FIL. PAP
APOLLA AEDILIS
Q. $\overline{\text{II}}$ VIRV. PRAEF $\overset{\text{I}}{\text{D}}$
PRO $\overline{\text{II}}$VIRIS. $\overline{\text{Q. Q.}}$
OB HONOREM SA
CERDOTI SVI STA
TVAM SIBI ANNO
EXPLETO POSV $\overset{\text{I}}{\text{T}}$
ITEMQ. DEDIC.

Sat(*urno*) *Aug*(*usto*). *L. Papius, L. fil*(*ius*), *Pap*(*iria tribu*) *Apolla ædilis q*(*uæstor*) *duumvir, præf*(*ectus*)

1. *Bulletin archéologique du Comité*, ann. 1889, pag. 250-251.

j(uri) d(icundo) pro duumviris quinquennalibus, ob honorem sacerdoti(i) sui statuam sibi anno expleto posuit itemq(ue) dedic(avit).

Unde constat L. Papium Apollam, omnibus honoribus in colonia Diana Veteranorum jam functum, sacerdotio Saturni donatum esse. Cujus rei non aliud exemplum per Africam invenias.

Sitifensis vero titulus mutilus est.

C. I. L. VIII, 8461 :

C TAL /// LIAPR
CRESCENS SACER
DOS DOMINI SA
TVRNI ET FLAM

C. Tal...? Crescens sacerdos domini Saturni et flam[en perpetuus, aut *Augusti...*]

Hic profecto agitur de flamonio perpetuo vel Augusti; ut domini Saturni, ita imperatoris in colonia Sitifi sacerdos C. Tal... Crescens fuit.

Paucissimi etiam fuisse videntur Saturni sacerdotes, qui civitatem romanam adepti sunt; quorum indicem brevissimum transcribere libet :

C. I. L. VIII, 8449 : *M. Areius Victor Arei fil(ius) Arn(ensi tribu) sacerd(os) d(ei) sanc(ti) Satur(ni) sac(erdos).*

C. I. L. VIII, 8452 : *C. Jul(ius) C. f(ilius) Arn(ensi tribu) Nundinarius sacerdos domini Sa(turni).*

C. I. L. VIII, 8458 : *L. Antistius C. f(ilius) Quir(ina tribu), Gallus sacerdos..... Orfito et Prisco co(n)s(ulibus). A(nno) p(rovinciæ) CX* (149 p. Chr. nat.).

C. I. L. VIII, 8462 : *C.(Ho?) mullius C. f(ilius) Ar(nensi tribu) Victor sac(erdos).*

Mirum quidem est eos titulos omnes Sitifenses esse. Quum autem L. Papius Apolla, ipse civis romanus, in colonia Diana Veteranorum ætatem egerit, et quum Sitifim quoque milites veteranosque Nerva miserit[1], forte conjiciendum est priscorum colonorum posteros, quanquam cives romanos, indigetibus tamen ita permixtos esse, ut eorum mores et ritus adsciscerent atque etiam domini Afrorum Saturni sacerdotium ambirent.

Omnes ceteri sacerdotes privati sunt neque cives romani. Ex quibus imo alii non habent tria nomina, alii patrem non prænomine, sed cognomine indicant; aliorum porro nomina minime latina sunt, sed de pristino Pœnorum et Liby-Phœnicum sermone desumpta.

A. De titulis in summo monte Bou Kourneïn collectis : *Mélanges de l'Ecole française de Rome*, ann. 1892 (t. XII) :

---

1. V. supra, pag. 44 et not. 3.

N. 13. *Octavius Ma...; sacerdos;*
N. 14. *Pontienus Samardacus sacerdos;*

B. De Thignicensibus lapidibus, *C. I. L.* VIII (*Suppl.*):

14913. *Æmilius Zabullus sacerdos.*
14915. *Annius Privatus sacerdos.*
14916. *Antonius Celer sacerdos.*
14917. *Cæcilius Bariciolus sacerdos.*
14920. *Cæcilius Felix sacerdos.*
14922. *Cæcilius Felix Saturnini Pantonis fil*(*ius*) *sacerdos.*
14923. *Cæcilius Fortunatus sacerdos.*
14925. *Cæcilius Rogatianus sacerdos.*
14926. *Cæcilius Rusticus Ziommoris* (*filius*) *sacerdos.*
14929. *Calvius Felix sacerdos.*
14933. *Cestius Rufus sacerdos.*
14934. *Clodius Januarius sacerdos.*
14935. *Clodius Optatus sacerdos.*
14936. *Clodius Rogatianus qui et Irnemius sacerdos.*
14937. *Cornelius Baricio sacerdos.*
14940. *Crescens Sullæ f*(*ilius*) *sacerdos.*
14941. *Datus Cenute* (?) *sacerdos.*
14944. *Dexonius Crescens sacerdos.*
15028. *Entius Citus sacerdos.*
14945. *Ernemius Perennis sacerdos.*
14948. *Faustinus Cestronis sacerdos.*

14949, 14950. *Faustus Iedonis sacerdos.*

14954, 14955. *Fondussus Urbanus sacerdos.*

14958. *Fudius Fortunatus sacerdos.*

14959. *Fudius Honoratus sacerdos.*

14960. *Furius Felix sacerdos.*

14961. *M. Furius Mamonicus sacerdos.*

14962. *Furius Privatus sacerdos.*

14964. *Gargilius Saturninus sacerdos.*

14966. *Haterius Primitivus libertus sacerdos.*

14967. *Januarius Lornemius sacer(dos).*

14971. *Julius Lucifer sacerdos.*

14973. *Julius Postumi Q. Balienis f(ilius) ob sacerdotium.*

14975. *Julius Saturninus sacerdos.*

14976. *C. Julius Victor Fasarianus sacerdos.*

14985. *Marius Salvius sacerdos.*

14989. *Messius Adjutor sacerdos.*

14990. *Messius Castulus sacerdos.*

15007. *Pontius Cesor Saturni sace(rdos).*

15009. *Pontius Primus sacerdos.*

15010. *Pontius Victor sacerdos.*

15012. *Postumius Saturninus sacerdos.*

15014. *Primigenius Rufi fil(ius) sacerdos.*

15015. *Primus Caprari f(ilius) sacerdos.*

15016. *Publicius Vitalis sacerdos.*

15020. *Quintilius Successus sacerdos.*

15021. *Rogatus Cestoris (filius) sacerdos.*

15024. *Sallustius Fortunatus sacerdos.*

15025. *Saturninus Iasdæ (filius) sacerdos.*

15029. *Sextilius Felix sacerdos.*

15030. *Sextilius Felix Soricis f(ilius) sacerdos.*

15036. *Titranius Ninus sacerdos.*

15037. *M. Tulius Mamonicus sacerdos.*

15048. *Vitalis Masbabæ (filius) sacerdos.*

14953. ... *Felix Primigeni Tipsaris f(ilius) sacerdos.*

14956. *Ecuitius? Fortunatus sacerdos.*

14957. ... *evius Fortunatus Primigeni f(ilius) sacerdos.*

15026. ... *ius Sat[urninus] Pantonis f(ilius) sacerdos.*

C. De titulis Saturno Sobarensi sacratis : adhuc inediti (cf. supra, pag. 14) :

Fulvius Repostus sacerdos.
Petronius Restutus sacerdos.

D. De aliis Africæ romanæ locis :

Masculæ : *C. I. L.* VIII, 2234 : *Lol(l)ius Rogatus sac(erdos).*

Lambæsi : *C. I. L.* VIII, 3299 : *Avillius Celsus sacerdos Saturni.*

Ephem. Epigr. V, 777 : *Julius Vitalis sacerdos Saturni.*

Hr Guigba : *C. I. L.* VIII, 4504 : *Cæcil(i)us Cretic(us) sa(cerdos) Sat(urni).*

Hr bou Atfan : *C. I. L.* VIII, 4839 : *Macedo Fausti fil(ius) sacerdos Saturni.*

Novar : *Recueil de la Société de Constantine*, ann. 1890-1891, p. 380 : *Manilius Donatus Iatanis (filius) sac(erdos).*

Sétif : *C. I. L.* VIII, 8447 : *Julius sacer(dos).*

Ut supra[1] monstrare tentavi, quicumque prænomine caret, etiamsi gentilicium et cognomen latina sunt; et patrem non prænomine, sed cognomine indicat; et inter latina nomina cognomine utitur punico vel libyco, is certo non Romanus neque Italicus neque etiam advena habendus est, indigena vero Africa ipsa oriundus : itaque Cæcilius Felix et Cornelius Baricio et Faustus Iedonis filius, et Marcus Furius Mamonicus, et Macedo Fausti filius et cæteri sacerdotes, quorum nomina contulimus, de plebe illa urbana vel rustica erant quæ, Romanis imperantibus, a pristinis moribus minime descivit. Qui etiam tria nomina habent, quum cives romani non sint, ipsi quoque indigetes, latinum vero vultum magis induti.

Apparet igitur, ex titulis adhuc repertis, neque provinciales, flaminum Augustalium instar, neque municipales, sicut flamines perpetuos, Saturni sacerdotes fuisse; illud vero sacerdotium nequaquam publicum esse[2].

---

1. Pag. 71 et seq.
2. Attamen non prætermittendus est hic titulus, prope coloniam Simitthu repertus (*C. I. L.* VIII (*Suppl.*), 14610) : *Dis manibus sacrum...*

Dum enim cujusque civitatis primores, omnibus honoribus functi, insuper flamonium perpetuum ambire solebant, humiliores contra, quibus ædilitatem, quæsturam, duumviratum adipisci perraro licebat, pro maximo honore sacerdotium Saturni habuisse verisimillimum est. Illi ad cultum Romæ et Augusti propere converterant; hi vero, priscorum morum, ut solet, magis studiosi, dei, quem majores coluerant, aras neque templa relinquere voluerunt. Unde factum est ut, in Africæ romanæ provinciis, duæ relligiones, quarum unaquæque et deos et cultum et sacerdotes suos habebat, ex æquo steterint, altera publica, altera contra plebeia et vulgaris, hæc Roma in Africam transmissa, illa indigenarum propria et cujus origo antiquissima videtur.

VII

Conclusio.

Ex omnibus iis argumentis, quæ supra contuli, constat, mea quidem sententia, numen illud, cui secundo et tertio p. Chr. sæculo latinum nomen Saturnus ab ipsis Afris datum est, multo prius cultum fuisse quam Africa

---

Annius Felix sacer(dos) Satur[ni] publicus pius vixit... Quum vero inter tot, seu votivos, seu sepulcrales sacerdotum Saturni titulos hic unicus sit, inde sequitur, mea quidem sententia, plerumque non publicum fuisse sacerdotium illud.

in provinciam redacta est : quippe qui deus neque Κρόνῳ Græcorum neque veterum Latinorum Saturno, Phœnicum contra Pœnorumque Domino Baal omnino respondeat. Ab Italia Saturni non cultum, sed nomen solum Romani Africæ intulerunt.

At forte mirabitur quis nullum ex votivis lapidibus adhuc collectis primo p. Chr. sæculo aut etiam secundo ineunte sacratum fuisse. Jam ipse, quum de titulis Saturno Balcaranensi dicatis scripsi, demonstrare expertus sum cur et quomodo res ita se haberet[1]. Compertum mihi videtur lapides antiquitus deo sacratos de sacrariis aut templis ablatos esse prout alia in dies plura voti soluti monumenta per aream disposita essent. Accidit etiam ut votivi, haud secus atque sepulcrales, lapides in alium quemdam usum converterentur. Latinis porro moribus et lingua in maximam Numidiæ partem et in Mauretanias nonnisi secundo sæculo diffusis, inde sequitur antea Saturni nomen ignotum neque latino sermone scriptos esse titulos.

Quamvis igitur omnia Saturni cultus in Africa reperta vestigia ad secundum et tertium p. Chr. sæculum referenda sint, minime tamen dubium est hanc relligionem sub dicione romana nequaquam exortam esse, verum contra de prioribus ævis superesse : cujus rei testem habemus Tertullianum qui de sacerdotibus Saturni, Augusto vel Tiberio principe, in crucem actis verba

1. *Mélanges de l'Ecole française de Rome*, ann. 1892 (t. XII), pag. 111.

facit[1]. Pro certo habendum est Saturnum omnino eumdem esse atque punicum deum Baal, ut ita loquar, togatum; quum præterea nomen illud Baal aut Baal-Hammon non solum apud Carthaginienses, sed etiam apud Liby-Phœnices atque Numidas frequentissimum fuerit, forsitan haud temere concludet, si quis hunc deum, Romanis imperantibus Saturnum et Pœnis Africam obtinentibus Baal nominatum, a libycis gentibus, alio quodam nomine adhuc ignoto invocatum, prius etiam cultum esse conjiciet, quam Utica et Carthago a Sidoniis Tyriisque conditæ sint. Utcunque autem de ea conjectura putandum est, nihilominus constat in Africa, eo tempore quo provinciarum leges datæ sunt et Romanorum mores in præcipuas urbes pervadere cœperunt, supremi dei, cujus tunc nomen Baal erat, cultum, publicum simul et domesticum et privatum, ubique florere et vigere.

Paulatim pristinus sermo in plerisque titulis latinæ linguæ cessit, atque omnia latinum vultum quasi induerunt. Tum pro deo Baal Saturnus invocatus est; non jam symbolicis signis, ut Pœni solebant, sed effigie humana, nunc simplice, nunc triplice, votivi lapides ornati sunt; numinis vero peculiaris natura immutata mansit. At exinde domesticus tantummodo et privatus fuit dei cultus.

Etenim postquam Augusto principe imperium roma-

---

1. V. supra, pag. 115-116.

num constitutum et ordinatum est, novus quidam cultus ubique inolevit et per totum orbem romanum mox publicus fuit : deæ Romæ simul atque divo Augusto in provinciis et in civitatibus aræ templaque sacrata sunt. Hinc in unaquaque provincia concilium vel κοῖνον, et sacerdos provinciæ (flamen Augustalis) vel ἀρχιέρευς; hinc in unaquaque civitate flamen Augusti aut perpetuus, nec non seviri Augustales : de quibus omnibus disserere non hic locus est. Præterea minime obliti sunt provinciales in quorum deorum dearumque tutela respublica romana olim fuisset atque etiamnunc esset; Jovi Optimo maximo et Junoni et Minervæ, ut Romæ in Capitolio, ita in multis urbibus templa erecta sunt, in Africa romana, ut exemplis utar, Suffetulæ[1], Thuggæ[2], Numiuli[3], Thamugadi[4], Lambæsi[5], etc. Ad quas aras et ad quæ templa omnes quidem certis diebus concurrebant, imprimis vero magistratus sive provinciarum sive civitatum et pagorum atque omnes ii quibus Roma vere Urbs erat et quasi ὄμφαλος γῆς. Plurimi autem indigetes, urbani et rustici, potius Afri manserant quam Romani facti erant; ad quos usque Urbis nomen perve-

---

1. Quamvis titulus hic desit, attamen verisimile est, ut ceteroquin opinatus est eruditissimus vir H. Saladin, tria templa Suffetulæ erecta Capitolinæ triadi dedicata esse. (*Tour du Monde*, ann. 1885, II, pag. 410.)
2. *C. I. L.* VIII, 1471; (*Suppl.*), 15513 et 15514.
3. *Revue archéologique*, 3e série, t. XX, pag. 215.
4. *C. I. L.* VIII, 2347.
5. *C. I. L.* VIII, 2611 et 2612. Adde : *C. I. L.* (*Suppl.*), 11167 (Segermes), 12286 (Bisica)?. Adde etiam titulum *Jovi optimo Maximo Capit(olino)* dedicatum (*C. I. L.* VIII (*Suppl.*), n° 16369, Aubuzza).

nerat, non mores. Dum igitur Romæ et Augusti et Capitolinæ triadis publicus cultus ubique instituebatur et primores primo in sua civitate flamonium perpetuum, dein etiam in provincia flamonium Augusti ambibant, pristini dei, olim Baal, nunc Saturni, relligio, non jam publica, domestica vero et privata, in omnibus Africæ romanæ partibus supererat; cujus dei sacerdotium pro maximo honore humiliores habuisse videntur.

Nulla autem indicia sunt, ex quibus censendum sit inter publicum imperii cultum et peculiarem Afrorum relligionem certamen exortum, vel hanc ab imperatoribus vexatam esse. Nihilominus Carthagine, ubi sedebat proconsul, et Lambæsi, circum ea castra in quibus imperabat legatus Augusti pro prætore legionis tertiæ Augustæ, Saturnus colebatur quam in remotissimis Africæ romanæ pagis et saltibus. Non secreto sed aperte palamque votivi lapides in templis areisque sacrabantur, et deo nunc primitiæ frugum deferebantur, nunc solitæ victimæ, agnus atque taurus, immolabantur. Quin etiam sæpius pro salute imperatorum ædes Saturno dedicata est aut restituta[1].

Præterea, Romanis ipsis auctoribus, et nomen dei et votivorum lapidum ornamenta, et templorum forma, et ritus nonnulli mutari cœperunt. Pro disco et luna crescente, hic protome Saturni-Κρόνου inter Solem et Lunam, illic falx et nux pinea, Saturno italico addictæ, effictæ

1. V. supra, pag. 23-24.

sunt; pro frugibus pomisque et placentis in lapide quasi dispersis, nunc ara inter agnum et taurum, nunc vir aut femina aut etiam ambo, thus et unguenta libantes, sub titulo insculpti sunt; ut in summis montibus et in areis sub Jove jacentibus, ita in ædibus a solo exstructis et peristilio ornatis deus cultus est. Priscum indigenarum numen, cui vultus punicus jam a Pœnis forte impositus erat, latinam togam, Romanis imperantibus, induit: unde fieri potuit ut Saturnus cum Jove Optimo Maximo a Thevestinis collatus sit[1].

Antiquæ Pœnorum relligioni, nedum eam delere tentarent, contra favisse Romanos pro certo habendum est. Etenim nonnisi in littore Maris nostri conditæ sunt Phœnicum coloniæ; quanquam ea pars Africæ, quæ inter littus maris et punicas fossas (φοινίκιδας τάφρους) jacebat, sub ditione Pœnorum olim fuit, atque etiam negotiatores Carthagine aut ab aliis Phœnicum coloniis in Numidiam ad mercandum sæpe pervaserunt, haud tamen putandum est eo tempore, quo Romani nondum in Libya imperabant, usque in mapalia Numidarum Maurorumque punicos mores cultumque et sermonem subrepisse. Tunc sane diis Mauris et Bacaci et aliis preces adhibere votaque solvere solebant rudes Masinissæ Jugurthæque majores. Numidia vero et Mauretaniis in provincias redactis, et legionis tertiæ Augustæ castris Lambæsi positis et coloniis militum veteranorumque Sitifi atque Au-

1. V. supra, pag. 19 et 48-49.

ziam missis, Saturni dei, quem omnino eumdem esse supra monstravi atque punicum numen Baal, relligio simul cum deæ Romæ et Augusti cultu per Africam romanam diffusa est. Quum autem et in titulis nonnullis Saturnus *dominus* vel *deus sanctus* invocatus sit, et in multis lapidibus Sol radiatus Lunaque cornibus lunæ crescentis coronata insculpti sint, manifestum est numinis naturam non aliam esse quam Saturni Balcaranensis vel Sobarensis; quum vero juxta Saturnum nonnunquam effictæ sint Matris Deum vel Dioscurorum figuræ vel etiam leonis torva facies, minime dubium est deo novam formam peculiaremque vultum, quibus nihil punici permixtum videtur, a Romanis imposita esse. Carthagine et a Vetere provincia in Numidiam et Mauretanias progressos Romanos secutus est priscus Pœnorum deus. Ab Hasdrubalis uxore incensum erat templum supremo Carthaginiensium deo in summo colle Byrsa nunc dicto dedicatum; ab ipsis victoribus ejusdem dei nomen cultusque per Africam diffusa sunt[1].

---

1. Quod quidem jam a doctissimis Ph. Berger et R. Cagnat (*Bulletin archéologique du Comité*, ann. 1889, p. 264-265), ita enuntiatum est : « On accuse souvent les Romains d'avoir détruit l'élément phénicien en Afrique. Au contraire, ils ont plus fait pour le répandre que n'avaient fait les Phéniciens eux-mêmes. Les Phéniciens n'ont jamais été colonisateurs ; partout où ils se sont établis, ils se sont bornés à créer des comptoirs, sans jamais pénétrer dans l'intérieur des terres. En dehors de quelques grandes villes de la côte, Carthage, Hadrumète, Iol, les traces de la civilisation punique en Afrique sont presque nulles. Au contraire, dans la période suivante, nous la voyons se répandre et pénétrer partout avec les armées et les colonies romaines. C'est alors que nous trouvons dans toutes les villes de l'intérieur des cultes qui n'y existaient sans doute pas auparavant. Jamais la religion punique n'a été plus florissante. Rome a répandu

Neque mirandum est rem ita se habuisse. Ut jam toties expositum est, nullius dei vel deæ cultus a Romana civitate publice exclusus est, nisi bonis moribus periclitantibus aut pro salute reipublicæ. Contra existimabant, quo pluribus diis deabusque in Urbe sacra fierent, eo tutiorem esse Romam et adversus hostes validiorem potentioremque. Nonne, ut pauca conferam exempla, Matris Deum Magnæ Idææ et Serapidis Isidisque et Mithræ cultus diversis temporibus ab Asia et Ægypto in totum orbem romanum libere pervagati sunt? Quorum vestigia etiam in Africa non desunt. Subjectarum gentium relligiones nunquam sublatæ sunt neque cærimoniæ vi extinctæ, nisi imperii romani fines aut majestas in discrimine versati essent. Druidas, illos Gallorum sacerdotes, non quia Teutatem pro Mercurio et Esum pro Marte colebant, sed quia Gallos ad libertatem vocare et bella contra Romanos movere solebant, imperatores Tiberius et Claudius et Nero et Vespasianus usque per intima silvarum insectati sunt. Christiani, non quia Christum adorabant, sæpius capite damnati et in circo feris projecti sunt, sed quia, cives, numinibus reipublicæ tutoribus sacrificare negabant imperatorumque majestatem lædebant, et, milites, solitum jusjurandum

---

la religion punique en Afrique, comme elle a contribué à la diffusion du christianisme par le monde entier. Les monuments puniques de l'époque romaine ne doivent donc pas être considérés comme les restes d'un état de choses antérieur, mais comme un nouveau développement de la religion punique en Afrique, sous l'influence de la domination romaine. »

abnuebant, atque etiam in secretis collegiis, contra leges et rescripta, conveniebant.

In Africa autem nulla seditio a Saturni sacerdotibus mota est, neque dei cultores unquam rebelles aut majestatis arcessiti fuisse videntur. Numidæ enim, Gætulique et Musulamii qui, Tacfarina duce, per agros Proconsularis provinciæ prædati sunt, nequaquam pro diis aut pro ritibus patriis certaverunt; tertio p. Chr. nat. sæculo jam vergente, Babari et Quinquegentanei in regione Sitifensi pro libertate, non pro relligionibus, arma moverunt. Civilibus etiam bellis, a Clodio Macro contra Neronem et Galbam et a Gordiano contra Maximinum susceptis, nullam relligionem immixtam esse constat. Quum præterea Romæ et Augusti cultus per Africam ubique floreret, non erat causa cur ab imperatoribus Saturni sacerdotes et cultores vexati essent. Immo, in duobus non infrequentibus Proconsularis provinciæ civitatibus, Thuggæ et Mactari, priscum dei nomen et punicus sermo non perierunt. Etenim in templo Thuggensi a medico Carton nuperrime reperti sunt votivi tituli punice scripti, et Mactari non pauci lapides, quibus quoque punici tituli inscripti erant, ab indigetibus deo Baal-Hammon sacrati sunt, qui jam ex latino sermone prænomina aut gentilicia aut cognomina temere desumpserant[1].

Attamen Saturni cultus, tertio p. Chr. sæculo ineunte,

---

1. *Comptes rendus de l'Académie des inscriptions et belles-lettres*, ann. 1890, pag. 35-42.

circa Carthaginem labare cœpit : nullum voti deo Balcaranensi post Severum Alexandrum soluti monumentum repertum est[1]. Doctissimi viri Ph. Berger et R. Cagnat omnes Thignicenses titulos ad tempus vix posterius referendos esse arbitrati sunt[2]; ibi autem, quum lapides etiamnunc in solo fixi et recti reperti sint et per ordines dispositi, non dubium est Saturni sacrarium, nequaquam ab imperii romani temporibus turbatum, a Thignicensibus multo prius derelictum esse, quam imperatores pristinas Græcorum Romanorumque relligiones publice exuissent. Ex titulis in Sitifensi Mauretania repertis, quibus inscribitur annus, novissimus anno provinciæ 223 aut 233, id est anno p. Chr. nat. 262 aut 272 dedicatus est[3].

Unde manifestum videtur Saturni dei cultum iis temporibus jam ab Afris desertum esse, quibus nondum aræ templaque gentilium a Christianis, haud invitis principibus, evertebantur. At verisimile est priscam relligionem novæ cuidam fidei cessisse, quæ ipsa Carthagine et ab Africa vetere in Numidiam et Mauretanias progressa est : Saturnus enim a Sitifensibus etiam tunc colebatur, quum jam in Proconsulari provincia paucissimi deo majorum vota solverent. Ut punicum numen Baal a Saturno, ita Saturnus a Christo remotus est. Jam tertio

---

1. *Mélanges de l'Ecole française de Rome*, ann. 1892 (t. XII), pag. 112.
2. *Bulletin archéologique du Comité*, ann. 1889, pag. 251.
3. *Mélanges...* loc. cit., pag. 110 et not. 1.

p. Chr. sæculo Tertullianus Carthagine gentiles increpabat; paulo post Cyprianus, Carthaginis episcopus, Proconsularis provinciæ et Numidiæ episcopos in concilium ad se vocabat; jam in omnibus civitatibus pagisque christiani inter se conveniebant. Christiana fide per Mauretanias serius diffusa, Saturni relligio in Sitifensi regione diutius restitit; sed ibi quoque paulatim interiit. Ut Tertullianus Cyprianusque Carthagine, ita in Numidia et Mauretania Sitifensi Minucius Felix et Arnobius et Milevitanus Optatus atque alii tertio sæculo vergente et quarto ineunte rusticam urbanamque plebem ad Christum adduxerunt. Dum publicus Romæ et Augusti cultus ubique perstitit, Saturnus contra in dies magis magisque ab Afris despectus est, neque per orbem romanum christiana fides usquam citius vel altius inolevit quam in Africa.

Jam sæpe neque injuria monstratum est pristinas Græcorum Romanorumque relligiones, secundo et tertio p. Chr. sæculo, nonnisi pro fabulis commentisque haberi, omnesque inquieti animi homines ad alia diversaque, ab Asia anteriore oriunda, numina convertisse; inde Romæ primo, dein in provinciis, floruisse et Mithræ et Isidis et Matris Deum Magnæ Idææ cultum ritusque[1]. Quæ numina, quorum quodque quasi unicum et supremum erat, Christi multo minus dissimilia erant,

---

1. J. Réville, *La religion à Rome sous les Sévères*, cap, IV, pag. 104-126; cap. X, pag. 284 et seq.

quam veteres fabularum dii heroesque : a mithriaco taurobolio ad christianorum baptisma transire facilius erat quam a sacrificiis lectisterniisque et aliis gentilium cærimoniis.

At compertum est hujus Afrorum Saturni, ab Asia ipsius oriundi, numen universum et supremum fuisse : quippe qui deus in nonnullis titulis *dominus*, vel *deus magnus*, vel *deus sanctus*, invocatus sit. Porro ex anaglyptis supra descriptis patet Saturnum toti naturæ, omnium rerum genetrici, præesse; unde nonnunquam *frugifer* dictus est. Haud aliter christianorum deus simul et supremum mundi numen habetur et *Ille*, a quo oriuntur omnia. Ut olim in Palæstina inter Baal et Iahveh, ita apud Afros inter Saturnum et Christum non multum distabat[1]. Minime igitur mirum est plebem urbanam rusticamque in Africa romana ad christianam fidem ardenti studio accessisse. Non enim a Saturni sacerdotibus cultoribusque vexati sunt christiani, sed a magistratibus, id est ab eis quibus, et in provincia et in unaquaque civitate, publicus Romæ et Augusti et divorum imperatorum cultus tuendus erat. Postea quidem, quarto sæculo, a christianis adversus novissimos dei

---

1. Huc mihi conferenda videntur quæ, in septimo Carthaginiensi concilio de hæreticis baptizandis, censuerit et dixerit Saturninus episcopus a Thucca : « Gentiles, quamvis idola colant, tamen summum deum patrem creatorem cognoscunt et confitentur. » (Migne, *Patrologiæ cursus completus, Series latina*, vol. III, pag. 1107.) Cf. etiam epistolam Maximi Madaurensis ad Augustinum (*Id.*, *ibid.*, t. XXXIII, pag. 82).

Saturni cultores acriter dimicatum esse videtur; antiqua gentilium templa diruta sunt et aræ eversæ, omnia priscarum relligionum vestigia ex rescriptis quam maxime deleta sunt[1]. Tunc vero christianam fidem publicum imperii romani cultum professi erant imperatores neque Christus ferebat ulli deo una cum ipso aut prope ipsum preces adhiberi. Nihilominus constat Christum in Africa primo ab iisdem adoratum esse, qui Saturno vota solvere antea solebant : ut Saturni cultus apud humiliores domesticus privatusque, Romanis imperantibus, fuit, sic christiana fides plebeiorum animos domosque prius obtinuit quam primores aut civitates et totam rempublicam.

Mythorum a Græcis conceptorum omnino rudes Romanorumque moribus parum imbuti, Afri indigetes numen supremum et quasi unicum, nunc Baal aut Baal-Hammon, nunc Saturnum, invocare nunquam desierunt : Romam et Augustum atque deos deasque adventicios accepit quidem plebs et coluit, nunquam vero pristini majorum dei immemor fuit aut veteres ritus despexit[2].

In Africa, quemadmodum amnes per æstatem ares-

---

1. *Mélanges de l'Ecole française de Rome*, ann. 1892 (t. XII), pag. 122; cf. Bouché-Leclercq, *Manuel des institutions romaines*, pag. 562.
2. Cf. Cyprianum, *De Idolorum Vanitate*, III : Inde per gentes et provincias singulas varia deorum relligio mutatur, dum non unus ab omnibus deus colitur, sed propria cuique majorum suorum cultura servatur.

cere videntur, sub arena vero fluunt, ita Romanis imperantibus, priscæ relligiones, quas, ut novis publice indulgerent, primores neglexerunt, apud vulgus tamen et humiliores nunquam exhaustæ sunt; sed, fonte neque obstructo neque turbato, manare non desierunt.

VIDI AC PERLEGI,

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona,
a. d. IV Nonas jun. Ann. MDCCCXCIV

Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi Decanus

A. HIMLY.

TYPIS MANDETUR

Academiæ Parisiensis rector

GRÉARD.

INDEX

SANCTI-CLODOALDI. — EX TYPIS BELIN FRATRUM.